SPECTACULUM ANNI SANCTI, ET ANNUS SANCTUS SINE SPECTACULIS...

Pietro : de la Figuera

Google

9.5.2.5

SPECTACULUM
ANNI SANCTI,
ET ANNUS SANCTUS
SINE SPECTACULIS.

Jubilæi potiſſimum tempore, *Avocandus eſt animus ab iſtis: Habet Chriſtianus meliora ſpectacula, ſi velit.* D. Cyprian. in lib. *de Spectac.*

9.5.285

SPECTACULUM ANNI SANCTI, ET ANNUS SANCTUS SINE SPECTACULIS.

LIBER HISTORICO-CANONICUS

DUAS IN PARTES DISTRIBUTUS:

In prima Anni Jubilæi hiſtoria, & prærogativæ perſtringuntur. Miſericordia erga Peregrinos commendatur. Atque temporalem etiam utilitatem Populis, & Principibus Catholicis ex Jubilæo Univerſali provenire oſtenditur.

In ſecunda ſcenicâ Spectacula, Bacchanalium ludos, & taurorum agitationes ſaltem Jubilęi tempore amovenda eſſe contenditur.

AUCTORE

D. PETRO FRANCISCO DE LAFIGUERA,

Et Lorieri, Cæſarauguſtano Utriuſque Juris Doctore,

Regalium Conſiliorum Majeſtatis Catholicæ Advocato; necnon Alumno Nobiliſſimi Regalis Collegii Advocatorum Matritenſis-Cæſarauguſtani, atque Sacri, Regaliſque Collegii Majoris S. Clementis Hiſpanorum Bononiæ conditi à b. m. D. D. Ægidio de Albornoz S. R. E. Cardinale, Epiſcopo Sabinienſi, Archiepiſcopo Toletano Hiſpaniarum Primate, & totius Italiæ Legato meritiſſimo &c.

BENEDICTO XIV. P. O. M. DICATUS.

BONONIÆ. M.DCC.L.

Ex Typographia de Saſſis Succeſſoris Benacii. *Superiorum permiſſu.*

BEATISSIMO PATRI
BENEDICTO XIV.
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

Sanctiſſimis ſuis pedibus obvolutus

Ampliſſimam, & perennem felicitatem precatur:

PETRUS FRANCISCUS DE LAFIGUERA.

U*T primum hoc ipſo anno,* BEATISSIME PATER, *hujus antiquiſſimi Majoris Collegii inſignis decorari cupidus è Cæſaraugustana florentiſſima Academia, & Curia in ampliſſimam hanc, nobiliſſimamque Civitatem, tuis præſertim meritis ornatiſſimam appuli; pergrato, placidoque animo intellexi Te ob Jubilæi anni ſanctitatem per univerſas Provincias temporali Eccleſiæ dominio ſubjectas publica vetuiſſe ſpectacula in Bacchanalibus potiſſimum exhiberi conſueta. Opportuniſſimam hanc legem per Tuos à Latere Legatos Provinciarum Præſides edictam à plerisque*

 ſane

ſane laudari, multis verò non ita piis, religioſiſque hominibus diſplicere novi. Meum tunc animum pungebat plurimùm tot noſtri Collegii emeritorum, præclariſſimorumque Sodalium exemplum, ut manus alicui honeſto admoverem labori, quo tametſi eximiam eorum doctrinam, atque eruditionem ob ingenii mei tenuitatem imitari non poſſem, deſiderium ſaltem illius æmulandi ſtudii, quo ipſi ad literas ferebantur, oſtenderem. Quocirca cogitanti mihi quam in rem mentem totam intenderem, ut id, quod animo volvebam, decore aſſequi liceret, nullum eo dignius, opportuniuſque viſum eſt argumento, quod tua mihi propinabat edictio. Porrò facere non potens, quin prodire coram, & erumpere quodammodo geſtiret mea erga Sanctitatem Tuam obſervantia maxima, totque conſcius beneficiorum, quibus noſtram hanc Domum cumulaſti, addictiſſimum tibi, gratiſſimumque animum publico exhiberem monumento; Libellum ea, qua potui brevitate, confeci, typiſque ſubmiſi, in quo, nonnullis de Jubilæi anno prælibatis, tuam, ut par erat, commendaturus edictionem, publica ſaltem ſpectacula, & ab anno Sancto, & a quocunque alio Jubilæi univerſalis tempore, pio, etſi obtuſo, adnitor calamo amovenda prorſus evincere.

Ejuſmodi eſt itaque hujus, quod lucubravi, Opuſculi argumentum, ut Te unum Patronum poſtulare, & habere poſſe videatur. Cui etenim potiori jure dicari debet, quam Romano Pontifici, qui & ipſum celebrat Jubilæum, & eam, ad quam totum collimat, ſpectaculorum interdictionem, ut ſacer annus vera transfigeretur ſanctitate, præſcripſit? Tuus igitur eſſe debet Liber iſte, quia totus, qualis eſt, ea duntaxat continet, quæ Tu ſumma cum laude præſtitiſti. Tuus itidem eſt, BEATISSIME PATER, quia totus monumentis adſtruitur Moralis, & Eccleſiaſtica Diſciplinæ, cui ſive inſtaurandæ, ſive ſartæ,

tectæ

tectæ conſervandæ non modo nunc pro Paſtorali, quo fungeris; & ſupereminet munere ſedulò adimplendo, verùm & ſemper pro ſingulari, planeque admiranda, qua in hoc doctrinæ genere præſtas, eruditione, & pro ardentiſſimo, quo ad eam raperis zelo, nullis parcens laboribus incubuiſti. Agnovit profecto Te tota Reſpublica Chriſtiana, etiam antequam ad Supremam, qua fulges, dignitatem aſcenderes, verſatiſſimum in univerſo præſertim Jure Eccleſiaſtico Magiſtrum, ejuſdemque vigilantiſſimum Vindicem, & Cuſtodem. Vidit quippe præter alia plurima, quæ ex profundo Tuæ literaturæ Oceano flumina doctrinarum erumpunt, aureas illas Inſtitutiones omnigena venerandæ antiquitatis eruditione, & locupletiſſimis cum veteris, tum novæ Eccleſiaſticæ Diſciplinæ documentis refertiſſimas, quas cum pro uno Bononienſi Clero erudiendo lucubraveris, ac edixeris, jam in publicam Eccleſiæ utilitatem ſemel, atque iterum evulgatas univerſus, quà patet, Eccleſiaſticus Ordo uti purioris Diſciplinæ regulas miro, quo polles, differendi acumine, & methodo conſpicuas, eas ſibi præfixit obſervandas. Norunt inſuper omnes quantam poſtmodum jure, ac merito per univerſum Orbem tui moveris admirationem tot Epiſtolis, tot Conſtitutionibus cedro, & aureis Eccleſiæ ſeculis digniſſimis, quas inter graviſſimas curas, quæ Summum Pontificatum obſident, ad ſacrorum cultum priſtino ſplendori reſtituendum ex ditiſſimo ingenii, & doctrinæ tuæ penu deprompſiſti. At quem lateat te Continuò ſingulis impendere quà voce, quà exemplo, quà ſcriptis monita, exhortationes, documenta, quibus, velut admotis charitatis igniculis, omnes, quos tuæ curæ concredidit Deus, ad morum honeſtatem, divinique cultus incrementum irrefragabili flectis eloquentiæ vi?

Hæ propriſsimæ ſunt, atque præcipuæ cauſæ, ob quas hanc,

quam molitus ſum, lucubrationem Tuo Sanctiſſimo nomini inſcribere debeam. Aliæ autem exuberant & plures, & magnæ, quæ, niſi illæ proprio quodam jure totum ſibi vendicarent Opuſculum, me pariter proculdubio compellerent, ut Te unum Mecœnatem adciſcerem. Quid enim, ſi hic meminerim illius Paternæ benevolentiæ, qua noſtram hanc Domum innumeris ornas, & amplificas beneficiis? quorum vinculis eam ita Tibi addictam, ac devinctam habes, ut ambigi merito poſſit num SANCTITAS TUA ſit ei charior, an ipſa SANCTITATI TUÆ. Gloriatur utique ipſa, æternoque ducet honori, Te, cum in hac chariſſima tua Patria Paſtoralem ſedulitatem Summo Pontificatu dignam exhibebas, amantiſſimi Protectoris vices in maximam ejus obiiſſe utilitatem. Ita hunc reipſa explevisti titulum, ut quantum præclariſſimo Noſtro Domino Cardinali Ægidio Albornotio, de Apoſtolica Sede, de univerſa Italia, & Hiſpania noſtra optimè merito magnificum hoc Colllegium à primo erigenti lapide referimus acceptum, Tu, ipſum paterno amore fovendo, & amplificando, præſtiteris. Meminit ſanè Domus iſta, & meminiſſe juvabit diu, qua animi conſtantia, quo ſtudio illius translationem (neſcio quo fato) fruſtra meditanti obſtiteris, quantumque pro ſtabilitate ipſius obfirmanda adlaboraveris. Candide fatetur ipſa, BEATISSIME PATER, Tibi uni Noſtrum Catholicum Regem efficaciſsime exoranti tribuendum prorſus eſſe eam Bononiæ avito ſuo ſplendore conſervari. Quid hic recenſere juvat intimos beneficentiſsimi animi ſenſus, quibus jam non tam hominum ſuffragiis, quam quodam Divini Numinis afflatu, ad ſupremum Eccleſiæ faſtigium evectus Regiam hanc Domum illuſtraſti? Notum eſt omnibus Te ita ipſius Alumnorum commodo conſuluiſſe, ut unum Canonicatum, aut Dignitatem quarumcunque Cathedralium, aut Metropolitana-

rum

rum Hiſpaniæ Eccleſiarum noſtratum Antiquiori quotannis pro Tua benignitate perpetuo affixeris conferendum. In tanto tanquam immenſo beneficentiæ Tuæ campo longius excurrerem, SANCTISSIME PATER, niſi probè ſcirem id muneris in ſe ſuſcepturam aliquando Domum iſtam, quæ pluribus Tibi arctius devincta beneficiis, in publicis, æterniſque monumentis, ſed indelebilius in ſuorum Alumnorum cordibus inſculptis in ſui grati animi argumentum perenne Tui panget encomium. Ego autem, dum illa tot beneficiorum memoriam fideli repoſitam animo continet, maxima felicitatis, ſummoque honoris loco ducam, quod hanc opportunam nactus ſim occaſionem, meum, ac cæterorum ex Albornotiana Familia Sodalium uno nomine, uno velut ore, uno pectore hæc beneficentiæ Tuæ, & obſequii noſtri ſpecimina indicandi.

Permultæ ſanè, & potiſſimæ rationes ſunt iſtæ, ut in meum animum induxerim, hoc qualecunque ſit Opuſculum Tuo Sanctiſſimo nomini inſcribere, ac devovere. At cum meæ humilitatis probè conſcius tanto Principi, & Doctori hoc ego ipſe exhibere non audeam, Tibi illud reverenter offero per manus egregii Noſtri Protectoris Cardinalis Joachimi Portocarrero non magis Purpura, quam avita nobilitate, & animi dotibus conſpicui, quem Sanctitas Tua in deliciis habet, & nos omnes filiali proſequimur obſequio. Tibi igitur illud conſacro ceu ejuſdem Operis argumenti Auctori; Tibi ceu purioris Diſciplinæ Eccleſiaſticæ Aſſertori, Inſtauratori, ac Vindici; Tibi ceu abuſuum, errorumque omnium Profligatori; Tibi ceu Benefactori munificentiſſimo; Tibi denique ceu totius Eccleſiæ Præſidi, Magiſtro, ac Duci; ceu amantiſſimo Fidelium Patri ſine faſtu, ſine ſupercilio, comitate, & benevolentia cunctis charo, Majeſtatem Pontificiam cum maximo candore morum, cum incredibili modeſtia ſocianti, & in occupationibus maximis literarum ſtudia nunquam intermitenti.

Sed

Sed hic, ut candide fatear, video me rerum dicendarum copia, & magnitudine obrui. Virtutes profectò Tuas, omnium ſeculorum memoria dignas, dicendi viribus exæquare non poſſum, & ad Tua in univerſam Eccleſiam merita, nullo unquam tempore intermoritura, mea quidem non aſpirat eloquentia, vel potius infantia. Utinam Viri eruditi, & facundia clari hanc in ſe provinciam ſuſcipiant, atque lato, eleganti que calamo palam faciant Te ubi laboris eſt opus, eſſe patientiſſimum; ubi curæ, diligentiſſimum; ubi prudentiæ, ſapientiſſimum; ubi doctrinæ, diſſertiſſimum, & ad miraculum eloquentem. Dicant incunctanter ipſi omnes tuorum Prædeceſſorum eximias dotes in Te uno ita redivivas emicare, ut ad perfectiſſimi Pontificis ideam implendam nihil poſſit accedere præſtantius. Ego interim, ut quod ſentio, dicam, probe ſcio, adeò excelſo, illuſtrique loco ſitas eſſe virtutes Tuas, ut vana præconiorum reſpuant ornamenta, nec laudibus creſcere poſſint, aut delectari.

Hæ animi dotes ſingularem in Te fovent humanitatem fuci omnis expertem. Felicem itaque aditum ad Te promittere ſibi poteſt iſtud mei ingenioli, & obſequii munuſculum, quod licet ſplendori Tuo, & deſiderio meo parum oppido reſpondere noverim, ſi tamen illud ex argumenti dignitate, vel ex digniſſimi Mediatoris meritis æſtimes, in eam erigar ſpem fore, ut venerando Tuo nomine, & patrocinio illud digneris illuſtrare. Erit autem labori meo merces magna nimis, & cumulatiſſimum operæ præmium, ſi una cum re minima maximam erga Te devotionem acceptaveris, quâ enixe Deum deprecor, ut Sanctitatem Tuam Eccleſiæ, Literarum, Domuſque noſtræ bono ſoſpitem, & incolumem quàm diutiſſimè ſervet. Nunc tandem Tuis Sanctiſſimis pedibus demiſſiſſime obvolutus Apoſtolicam Benedictionem efflagito.

De

DE mandato Illuſtriſſimi D. Rectoris, ac Regalis hujuſce Majoris Collegii vidimus opus à D. Doctore D. Petro de Languera, Regiorum Conſiliorum Catholicæ Majeſtatis Advocato, Nobiliſſimi Regalis Advocatorum Matritenſis, ac Cæſaraugustini Collegii, necnon & hujuſce noſtri Majoris Alumno ſcriptum; Cui titulus. *Spectaculum anni Sancti, & annus Sanctus ſine Spectaculis*. In eo quidem nihil adverſus Fidei Catholicæ dogmata, bonos, rectoſque mores reperimus, quominus poſſit prælo committi: imo potius toto in Opere Conciliorum, Sanctorum Patrum, Doctorumque doctrinæ miro cùm ordine ſunt connexæ, maxima cum claritate, atque eruditione relatæ. Porro totum Opus novum invenimus, dum conſideramus nullum uſqueadeo hac de re directe, ac expreſſe tractaſſe. Vetuſtiſſimum autem, dum omnes doctrinas in illo contentas à primævis Eccleſiæ ſeculis ab ipſa inſpicimus Eccleſia receptas. Quod verò finem Operis attinet cum Religioni noſtræ, tum Reipublicæ utiliſſimum agnovimus: ideoque undequaque digniſſimum ut typis excudatur. Hoc noſtrum judicium ſalvo &c.

Datum in hoc noſtro Regali Collegio Majori Sancti Clementis D. N. Ægidii Cardinalis Albornotii, Bononiæ die 31. Menſis Octobris Anni Domini 1750.

D. D. Joſeph Antonius Garcia Prieto.

D. D. Ildephonſus Nuñez Peralta.

NOs D. Doctor D. Lazarus, Joachin Ruano, & Guerra Sacri, Regalis, Majoris Collegii Sancti Clementis Hiſpanorum Bononiæ Rector, & in Archigymnaſio ejuſdem Civitatis Cathedræ Sacrorum Canonum publicus Moderator, necnon D. D. Philippus Monton, & Romero, Sacræ Theologiæ in prædicta Univerſitate publicus Magiſter, & D. D. Petrus de Caſtro, ejuſdem Collegii Alumni tenore præſentium facultatem impartimur D. Doctori D. Petro de Languera, digniſſimo Sodali noſtro quatenus præclariſſimum opus, cui titulus *Spectaculum anni Sancti, & annus Sanctus ſine Spectaculis*, accuratiſſimo ſtudio, & opera ab ipſo elaboratum typis mandare poſſit, cum de noſtra commiſſione ſit viſum, & nobis expoſitum Fidei Catholicæ nullomodo adverſari.

Datum in Camera noſtra Rectorali die 1. Novembris Anni Domini 1750.

Ita eſt

Doctor D. Lazarus Joachin Ruano, & Guerra, Rector.

D. D. Philippus Monton, & Romero.

D. D. Petrus de Caſtro.

Vidit

Vidit D. Aurelius Caſtanea Cleric. Regular. Sancti Pauli, & in Ecclesia Metropolitana Bononia Pœnitentiarius, pro Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa Benedicto XIV. Archiepiſcopo Bononia.

Sexto Kalen. Novembris 1750.

Die 20. Octobris 1750.

Reverendiſſimus Pater Chryſoſtomus Trombelli, Abbas Monaſterii S. Salvatoris Bononia videat pro Sancto Officio, & referat.

Fr. Thomas Maria de Angelis Sancti Officii Bononiæ Inquiſitor Generalis.

Eruditus, ac pius eſt liber ille, qui à Nobili, & ſtudioſiſſimo Doctore D. Petro Laſiguera compoſitus eſt, inſcriptuſque ad hunc modum. Spectaculum Anni Sancti &c. *Te itaque deprecor Reverendiſſime Pater, cujus juſſibus obſecutus eundem Librum diligentiſſime legi, ut eum evulgari ſinas.*

Ex Ædibus Domini Servatoris:

D. Joannes Chryſoſtomus Trombelli, S. Servatoris Abbas m. p. ſcripſi.

Die 29. Octobris 1750.

Attenta ſupraposita atteſtatione,

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Maria de Angelis, Sancti Officii Bononiæ Generalis Inquiſitor.

IN-

INDEX

Capitum, quæ in hoc Libro continentur.

PARS PRIMA:

Præcipua de Anno Jubilæo, ejuſque circunſtantiis.

CAPUT I.

De nomine, etymologia, & natura Jubilæi. pag. 1

CAPUT II.

De Jubilæi multiplicitate. 6

CAPUT III.

De noſtro Eccleſiaſtico Jubilæo, & Anno Sancto, variis quæ ejus appellationibus. 9

CAPUT IV.

De Eccleſiaſtici Jubilæi origine, antiquitate, & inſtitutione. 16

CAPUT V.

Jubilæi progreſſus hiſtoria perſtringitur. 24

CAPUT VI.

Quare Annus Jubilæus fuerit in Eccleſia inſtitutus. 29

CAPUT VII.

Jubilæum anni Sancti eſt Chriſtianæ Reipublicæ utiliſſimum non modo ad ſpiritualem, verum etiam ad temporalem felicitatem aſſequendam. 34

CAPUT VIII.

Chriſtiani Principes debent; imò ipſorum intereſt Jubilæum Anni Sancti promovere. 38

CAPUT IX.

Multa, quæ Principes Catholici præſtare debent in Jubilæi, ac proinde in Peregrinorum gratiam, ut illud promoveant. 42

CAPUT X.

Summos Pontifices, & Principes, qui in Jubilæi, ac Peregrinorum gratiam ſupradicta præſtiterunt, memoramus, ut eorum exemplo alii quoque ad eadem explenda excitentur. 49

PARS SECUNDA.

De publicis Spectaculis, ludiſque theatralibus Anno Sancto, & quocunque alio Jubilæi univerſalis tempore interdicendis.

CAPUT PRIMUM.

Spectacula, de quibus in præſentiarum loquimur, deſignantur, & a prima ſua origine deſcribuntur. pag. 56

CAPUT II.

Eas adducimus SS. Patrum declamationes, & ſententias, quæ in priſca, quæ deſcripſimus, ſpectacula prolatæ, noſtra quoque redarguere videntur. Poſteriorum præclariſſimorum Scriptorum de noſtris ſpectaculis iudicium proferimus. 62

CAPUT III.

Circa eadem theatralia ſpectacula Theologorum, & Juriſtarum opiniones indicamus, & veram Angelici Præceptoris mentem aperimus. 70

CAPUT IV.

Pœnas utroque jure hiſtrionibus inflictas, præclariſſimoſque Principes, & Præſules, quibus eorum artes diſplicuere, memoramus. 75

CAPUT V.

SS. Patrum de larvis cenſuram; De Bacchanalibus perſonatorum hominum ludis Auctorum opiniones, & leges, atque Edicta, quæ eos vetarunt, indicamus. 79

CAPUT VI.

Ea adducimus argumenta, quibus noſtra taurorum agitationes improbari videntur. 83

CAPUT VII.

Circà eadem noſtri temporis ſpectacula mentem noſtram ſummâ aperimus comitate. 86

CAPUT VIII.

Noſtra publica ſpectacula Jubilæo prorſus adverſantur; ideòque, eo durante, interdicenda ſunt. 87

CAPUT IX.

Ab his ſaltem, de quibus agimus, ſpectaculis, dum Romæ Annus Sanctus celebratur, Fideles omnes; dum verò in aliis Regnis, vel Populis, eorum incolæ abſtinere debent ob ſanctificationem Jubilæi. 93

CA-

CAPUT X.

Ea potiſſimum, de quibus diſſerimus, ſpectacula, ubicunque anno Sancto agantur; ſacras peregrinationes, atque uberiorem Jubilai fructum impediunt; dum autem in aliquo populo ipſum Jubilaeum (ut mos eſt) extraordinarie celebratur, in eo quoque devotionem, & ipſius Jubilai utilitatem imminuunt. Illa propterea ſaltem anno Sancto per univerſum orbem Chriſtianum, Jubilaei vero extraordinarii durante in his, in quibus iſtud celebratur, populis vetari oportet. pag. 99

CAPUT XI.

Eoſdem ludos, & Spectacula utraque jure diebus feſtis vetari oſtendimus, quia Dei cultum, & opera virtutis impediunt. Hinc ea ſimiliter evincimus Jubilai tempore interdici oportere in his locis, in quibus ab ipſius Jubilai ſtudio Fideles abducere probavimus. 106

CAPUT XII.

Ad id ipſum, quod agimus, comprobandum aliud efficacius urgemus argumentum, paritate a ſanctae Quadrageſimae diebus deſumpta, in quibus etiam propter ipſarum ſanctitatem, & ne Fideles à poenitentia, & pietatis exercitationibus avertantur, ſpectacula, aliaſque publicas voluptates vetari oſtendimus. 113

CAPUT XIII.

Argumento à conſueta Indulgentiarum ſuſpenſione deducto amplius confirmamus, anno Sancto durante, Baccbanalium ludos, & ſpectacula à quibuſcunque Catholicorum locis amovenda fore. 119

CAPUT XIV.

Pauca quaedam adducimus argumenta, quibus adverſarios ea, quae hactenus diximus, impetituros eſſe ſuſpicamur. 122

CAPUT XV.

Objectiones praecedenti capite propoſitas diſſolvimus, ac repellimus. 128

CAPUT XVI.

Edictionem, qua N. SS. Pater ſcenicos, & Bacchanales ludos à Populis ſibi temporaliter ſubjectis anno Sancto amoveri juſſit, juſtiſſimam, ſanctiſſimamque evincimus, eamque commendantes, futuros Romanos Pontifices, Principes omnes Catholicos, atque Epiſcopos excitamus ad eandem in ſuis Ditionibus Jubilaei temporibus iterandam. 146

BENE-

BENEVOLO LECTORI.

ÆQuiſſimum erat, humaniſſime Lector, ut qui jam Utriuſque Juris ſcientiæ non expers, ejuſdem plenius aſſequendæ deſiderio accenſus Patriæ valedixit, Regna peragravit, transfrectavitqne maria, atque in hac famoſiſſima Minervæ Domo, meritis licet imparibus, adoptati meruit; aliquod non illuſi voti, & laboris teſtimonium perhiberet. Hac ſane permotus ratione has lucubravi diſſertationes; minus fortaſſe convenienter, quam argumenti dignitas poſtularet, ſed tamen (quantum per temporis aoguſtias noſtra ferre potuit ingenii adoleſcentia, vel infantia) diligenter ſane, & ſtudioſè. Utinam tibi labor meus arrideat: Si autem aliqua minus placeant, ignoſcas, & condones, obſecro, haud illudabili proficiendi ſtudio, quidquid cenſura dignum inveneris. Vale.

PARS

PARS PRIMA.

Præcipua de Anno Jubilæo, ejuſque circunſtantiis:

EO' collimat totius Operis argumentum, *ut publica noſtrorum temporum ſpectacula à Sancto Jubilæi Anno, tanquam ipſi minimè conſentanea, funditùs evellanda perſuadeam: Id verò nullo unquàm pacto me aſſequi poſſe novi, niſi multa de Jubilæo, & Anno Sancto in anteceſſum expendam, ut, cùm noſtro in argumento verſemur, majori oſtendatur perſpicuitate, quantùm hujus Anni ſanctitati prædicta ſpectacula adverſentur. Veruntamèn operoſum, abſolutumque de Jubilæo Tractatum, quem jam tot, tantique Viri feliciter perfecerunt, ad id aſſequendum, elucubrare, & noſtræ breviſſimæ diſſertationi annectere, nec congruum, nec neceſſarium duxi. Proptereà modum, rectamque methodum pro captu tenere cupiens, his omiſſis, quæ à noſtro inſtituto aliena ſunt, ea duntaxat de Jubilæo, & Anno Sancto hàc in Parte perſtringam, quæ ad veram ejus notionem aſſequendam ſufficiant, atque ad præcipuum argumentum viam ſternant, & juvent. Ut igitur vota adimpleam, ſit.*

CAPUT I.

De nomine, etymologia, & natura Jubilæi.

1. CIrca nominis Jubilæi originem, atque etymologiam Doctores, & Grammatici adeò diſſident, ut inter ipſos nec de vocis orthographia, & pronuntiatione convenerit. Quamplures enim, ex iis præſertim, qui nomen iſtud ab Hebraicis dictionibus *Jobel*, vel *Jobal* deductum putant, nimis vocum affinitati indulgentes, potius quàm *Jubilæum*, *Jobel* (*a*) *Jobelum* (*b*), *Jobelæum* (*c*), aut *Jobilæum* (*d*) ſcribere, & pronuntiare malunt. Alii aut quæſtionem de voce temnentes, aut rei ambiguitate perplexi, utrovis modo æquè bene proferri exiſtimant (*e*). Recentiores verò cum D. Hieronymo, ac proinde cum Vulgata Sacræ Paginæ editione, quam ut omnium emendatiſſimam nos ſequi juvet Tridentinum (*f*), *Jubilæum* conſtanter dicunt. Propterea & ego in re ita obſcura, huic receptiſſimæ opinioni utroque pollice lubens ſubſcribo. Cum pluribus enim arbitror hoc vocabulum non eſſe aliquod ex illis Hebraicis, ſed Eccleſiaſticum, & latinum, eſtò ad eorum ſimilitudinem, & conſonantiam efformatum.

2. Explicatà nominis Jubilæi pronuntiatione, ejus derivatio perquirenda. Rutilius Benzonius novem *Jubilæi* etymologias ex Auctoribus variè opinantibus recenſet (*g*). Plures etiam congerit P. Dominicus à SS. Trinitate (*h*); ſed omnes cum iis coeunt, quas

(*a*) Cyrill. Franch. *in Comm. de Anno Jubil. lib.* 2. *cap.* 2.
(*b*) Joſeph. *lib.* 3. *antiquit. cap.* 10.
(*c*) M. Ant. Sabell. *cap.* 25. Hunc ſequitur Theologorum Juriſconſultus, & Juriſconſultorum Theologus celeberrimus Doctor Mart. Navarrus: *in Comm. de Jubil, & Indulg. notab.* 1. *n.* 9. *tom.* 3. *Oper. Cajet. in Levit. cap.* 25.
(*d*) Nic. de Lyra, & Aug. Steuch. *ſup. cap.* 25. *Levit.* Card. Turrecrem. *in Grat. Decr. ſup. c. Quis vedit aliquando.* §. *Item in Levitico. de Pænit. diſt.* 1. Card. Alexandrin. *in Summa, de Pænit. diſt.* 7. Joann. Baptiſt. Paulian. *in ſuo libello, de Jubil.* Ant. Corduv. *lib.* 5. *de Indulg. q.* 11. Polid. Virg. *lib.* 8. *de Invent. rer.*
(*e*) Franc. Ribera, *lib.* 5. *de Templo, cap.* 24. *in fin.* Cyr. Franch. *ubi ſup. in fin.*
(*f*) *Seſſ.* 4. *cap.* 2.
(*g*) *De Anno Jubil. lib.* 1. *cap.* 5.
(*h*) *De Anno Jubil. cap.* 2. *à n.* 3.

quas Benzonius annumerat. Noſtri non intereſt, eas adamuſſim exponere: Sat erit ipſas ſtudioſis indicaſſe. Ut autem hac in re mentem meam aperiam, diſtinguendum arbitror inter Moſaicum, & Eccleſiaſticum Jubilæum. Etenim, cùm hæc, quantumvis ſimilia, ſint valdè diverſa; derivatio, quæ illi minus congruat, poterit alteri propriſſimè convenire. Et quidem res ita ſe habet. Quamvis enim antiquum Hebræorum Jubelæum à *Jobel*, vel *Jobal* citra metaphoram dici queat, vel quia apud eos verè Jubilæum erat Annus quietis, remiſſionis, libertatis, & germinis; quæ omnia dictiones illæ ſignificant, ſecundum varias Interpretum ſententias (*i*), ſive quia, ut alii volunt (*j*), *Jobel* buccinam, aut ejus clangorem denotet, & ab hujuſmodi clangore, & ſonitu Jubilæum fuerit nuncupatum: Noſtrum tamen Jubilæum à verbo *Jubilo* videtur deſcendere, tùm quia hoc magis congruit vocis affinitati, tùm etiam quia ex omnibus epithetis Jubilæo in genere tributis nullum propriùs Eccleſiaſtico convenit, quàm jubili, aut jubilationis internæ, & ſpiritualis, quâ in Anno Sancto Fidelium omnium animi perfunduntur (*k*).

3. Huic genuinæ interpretationi favent Romani Pontifices, præſertim Gregorius XIII., dùm ait: *Ad ſalutarem eorum lætitiam... quanto majori poſſumus animi gaudio Jubilæi celebritatem indicimus* (*l*), & Clemens VIII. inquiens (*m*): *Annum Jubilæi, pœnitentiæ, & ſpiritualis lætitiæ... Annus Chriſtiano Populo optabilis, & jucundus.* Nec ab iis alienus eſt N. SS. D., & munificentiſſimus Benefactor, Benedictus XIV. Eccleſiæ bono natus, in ſua Conſtitutione (*n*) paterno amore non minùs, ac eruditione plenâ, in qua ad ſpiritualem jucunditatem, & lætitiam Fideles excitat, ut eam perlegenti palàm innoteſcet.

4. Porrò in Anno Jubilæo omnes Chriſtifideles inſuetis prope-

(*i*) Vid. Corn. à Lap. *in d. cap.* 25. *Levit.* Benzon. *ubi prox.* P. Caſſian. à Sancto Elia, *in Arbore omnium ſpir. moral. v.* Jubilæum.
(*j*) Nempè Rabi Salom. Lyra, & Abulens.
(*k*) Ita Joan. de Anania, *tract. de Jubil.* immediatè poſito poſt rubric. *de crim. falſi.* Bercor. *in Diction. v. Jubilaus*, Zerula *d. cap.* 2. Quibus conſentiunt ferè omnes Recentiores, & inter eos nuperrimus P. Theodor. ab Spir. Sanct. *in ſuo erudito tract. Hiſtorico-Theolog. de Jubil. cap.* 1. *num.* 4.
(*l*) *In bulla indictionis Jubil. incipiente* Dominus, &c.
(*m*) *In ſimili Conſtit. cujus initium eſt*, Annus Domini.
(*n*) *In Conſtit.* Peregrinantes, emanata anno Dom. 1749. III. Non. Maji.

modùm gaudiis jubilantes, & animâ, & corpore congaudent, ac exultant. Nempè, ut ad rem notat Alapide (*o*), *Deus voluit Jubilæum eſſe typum pleniſſimæ lætitiæ, quam attulit, & in quam aſſeruit nos Chriſtus Redemptor in lege nova*. Animas exhilarant, quia peccatorum pondere, & ſarcina exonerantur, & in cultu, ac timore Dei gaudent; ut enim inquit Eccleſiaſticus (*p*); *Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum*. Corporaliter quoquè jubilant, quia omnes ſenſus lætificantur. Viſus hilareſcit conſpiciendo tot Apoſtolorum, & Martyrum ſepulchra, tot pietatis, & Religionis monumenta, tot diverſarum Nationum turmas in uno pœnitentiæ ſpiritu congregatas. „ Quid enim (ut aureis SS. D. N. verbis utar) Chri-
„ ſtiano homini jucundius accidere poteſt, quàm gloriam Cru-
„ cis Chriſti in ſupremo, quo in terris fulget ſplendoris lumine,
„ conſpicere, ac monumenta triumphalis Victoriæ, qua Fides
„ noſtra Mundum devicit, propriis oculis intueri? ... Ipſe de-
„ mùm conſpectus innumerabilis Fidelium multitudinis hoc ipſo
„ Anno ad Urbem undique confluentis juſto, ſanctoque gaudio
„ cumulabit cor veſtrum &c. (*q*). Auditus in publicis precibus, & ſancta prædicatione delectatur. Guſtus in Sacroſanctæ Euchariſtiæ perceptione, & dulcedine. Odoratus in tot bonorum operum, & orationis fragrantia, juxta illud Apocalipſis (*r*); *Phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum*. Tactus denique in ſanctarum reliquiarum oſculis, amplexibus, & aſportatione demulcetur.

5. Haud leve fundamentum noſtræ opinioni ſuppetit Eccleſia ipſa, ſtatim ac Porta Sancta aperta eſt, Pſalmum *Jubilate*, canens. Porrò tùnc innuit Jubilæi, & Jubilationis connexionem, Annumque Jubilæum non mundanæ, aut theatralis, ſed tempus ſpiritualis, & intimæ exultationis eſſe. Id clarius Fidelibus indicat, dùm in prædictæ dictionis cantu muſicales notas multiplicat, ipſam vocem *Jubilate* per plures modulos, flexuſque pro-

(*o*) *In cap. 25. Levit.*, ubi pluribus comprobat, gaudium ineſſe Jubilæo.
(*p*) *Cap. 1. verſ. 11.*
(*q*) N. SS. D. Benedictu XIV. *ubi sup.*
(*r*) *Cap. 5.*

protrahendo (*ſ*). Haud hoc inconſultò inſtitutum eſſe, quis putet, cùm certò noverimus, Spiritùs Sancti aflatu Eccleſiam regi, & ab eodem Sancto Spiritu in ritibus inſtituendis ſingulari præſidio juvati.

6. Verùm nihilominùs adversùs hanc *Jubilæi* deribationem obmurmurant politiores Grammatici, nomenque *Jubilæum* parùm conforme inflexionibus Grammaticalibus, atque indè minus latinè ductum accuſant. At quid hinc? An ideò improprio vocabulo Eccleſiam uti fatebimur? Abſit. Hoc quidem nomen novum, ſi vis, eſt, & minùs latinum in origine, Eccleſiaſticum tamen, ideòque propriiſſimum, cùm non modò Vulgi, verùm etiam Pontificum, & Scriptorum uſus, ac conſuetudo ita retinuerit, & approbaverit, ut de eo in Romana Curia ſtylus invaluerit (*t*). Sanè, cùm plura ſint opera, & negotia, quàm verba (*u*), licuit Eccleſiæ in re purè Eccleſiaſtica ad faciliorem ejus intelligentiam novum efformare vocabulum, eoque conſtanter utendo, proprium, & peculiare facere: Sibi enim adſtruxit, & habet unaquæque Facultas ſuos proprios terminos, qui eſtò Latinorum criterio examinati aliquam improprietatem involbant, ſunt tamen tàm apti, & vivaces ad rem totam exprimendam, ut vix Grammaticorum lautitia alium æquivalentem dare poſſit. Id jàm plurimi in his dictionibus *Tranſubſtantiatio* (*x*), *Ex opere operato* (*y*), aliiſque hujuſmodi obſervarunt. Ut autem res non per exotica, & confuſa, ſed per uſitatiora, ac magis propria vocabula nuncupetur, nimio plus ſeveras Grammaticorum edictiones licet aliquando, deſpi-

(*ſ*) Ritus, & cæremoniæ Eccleſiaſticæ non ſunt ad libitum indifferentes, ſed ob piam aliquam ſignificationem intellectum noſtrum movent, & erudiunt ad percipiendum myſterium aliquod Religionis ſub illis latens. Innoc. I. *Epiſt.* 1. *ad Decent.* S. Leo, *Epiſt.* 81. D. Auguſt. *Epiſt.* 119. *cap.* 7. Concil. Toletan. IV. *cap.* 2. Benzon. *lib.* 4. *c.* 11.

(*t*) Circa hæc vide Card. Pallæot. *de admin. Eccleſiæ Bonon.* Zerula, *de Anno Jubil. lib.* 2. *cap.* 2. Benzon. *de Anno Jubil. lib.* 1. *cap.* 5.

(*u*) Lex, *Nam. ff. de Præſcript.*

(*x*) Subtilis Doctor, *in* 4. *diſt.* 10. *q.* 1. & *diſt.* 11. *q.* 3., & cum aliis Cajetan. 3. *p. q.* 75. *artic.* 2. huic voci adverſantur; & tamen uſurpata, & approbata eſt ab Eccleſia.

(*y*) Hos terminos ſcholaſticos derident Calvinus, aliique Hæretici, eò quod contra Gramaticæ regulas paſſivè ſummantur; At ob ſignificationis proprietatem Conc. Trident. non modo eos approbavit, ſed etiam iis omnes uti, juſſit, *ſeſſ.* 13. *cap.* 2. & 4.

deſpicere (z). Concludendum eſt itaque cum Rutilio Benzonio, & aliis (&), nomen *Jubilaum* ex Eccleſiæ, atque Doctorum uſu, & approbatione proprium, & legitimum eſſe, & quanvis ad ſimilitudinem, & conſonantiam Hebraicæ vocis *Jobel*, vel *Jobal*, à verbo *Jubilo* deductum.

7. Venio nùnc ad Jubilæi naturam in genere explicandam. Ad hoc autem prænotare oportet, Jubilęum Moſaicum ex omnibus primum, & antiquiſſimum à Deo in Levitico inſtitutum (a), fuiſſe ab ipſo per remiſſionem, ſeu libertatem explicatum, ibi. *Sanctificabiſque Annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ, ipſe eſt enim Jubilæus.*

8. Hoc poſito, Divino oraculo præunte, ſic Jubilæum in genere defino. *Generalis, & pleniſſima remiſſio à Dei Benignitate proveniens.* Hæc definitio conſonat Jubilæi deſcriptionibus à D. Ambroſio, Hyeronimo, & Iſidoro allatis. Primæ ejus particulæ Jubilæas remiſſiones cum his, quæ promanant ab hominum liberalitate, confundit: Poſtremæ verò ad Divinas contractæ alias ab aliis ſecernunt, & diſtinguunt. Nec quia *Jubilæum* à *jubilare* dicimus, extrinſeca jubilationis, aut lætitiæ ratio ab etymologia, & effectu deſumpta definitionem ingredi debet, ut Navarrus, & Bercorius perperam cogitarunt.

CAPUT II.

De Jubilæi multiplicitate.

1. QUatuor diſtinctas generales remiſſiones à Dei Benignitate emanatæ in Sacris litteris comperiuntur. Neceſsè igitur eſt, totidem eſſe Jubilæorum ſpecies. Prima itaque eſt ea, quæ à Domino in Levitico præſcripta (b) quolibet anno quinquageſimo Iſraelitico Populo contingebat; cùm ſcilicet ſervi ex filiis Iſrael manumittebantur, debita, obligationeſque relaxabantur, atque hæreditates abalienatæ, & temporis inter-

(z) Conſt. Roncaglia *in not. ad Natal. Alexand. vol. 8. p. mi* 112. Benzon. *d. cap.* 5.
(&) *Ubi prox.* P. Theod. *d. cap.* 1. *num.* 4. & 5.
(a) *Cap.* 25.
(b) *Dic. cap.* 25.

tervallo confuſæ ad propriam Tribum, priſtinoſque dominos redibant. In hac Hebræorum remiſſione noſtrum Jubilæum præfiguratum fuiſſe, docent communiter Scriptores. (c)

2. Secunda remiſſionis, & Jubilæi ſpecies fuit ipſa copioſiſſima Redemptio, quâ Christus D. per admirabilem Adventum ſuum, & Sacratiſſimam Paſſionem cuncta noſtra debita remiſit, nobiſque à Diaboli captivitate ſolutis immarceſibilem reſtituit hæreditatem. De hac ampliſſima remiſſione ita in ſpiritu locutus eſt Iſaias. (d) *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me, ad annunciandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo Noſtro.*

3. Tertia à præcedente cauſata, & in multis cum ea conveniens, fuit illa pleniſſima remiſſio ab Spiritu Sancto in die Pentecoſtes diſpenſata, quando Apoſtolis, cæteriſque Chriſti Diſcipulis in Cænaculo congregatis celeſtis, ac ſupernus ignis, omnium peccatorum maculâ deletâ, Divinarum gratiarum chariſmata communicavit. Hinc D. Hylarius in Hymno cecinit: *Patrata ſunt hæc myſticè, Paſchæ peracto tempore, ſacro dierum numero, quo lege fit remiſſio.*

4. Quarta eſt Jubilæum Eccleſiaſticum, quod Eccleſia ad pleniſſimam remiſſionem pœnarum temporalium, quibus ob crimina perpetrata obnoxi ſumus, ſtatis temporibus concedit. Hoc duplex eſt. Ordinarium, & Extraordinarium. Primum dicitur, quod certo evoluto annorum circulo, univerſis Chriſtifidelibus per integrum annum Sanctum Romæ adquirendum proponitur. Habet hoc, præter alia, onus Peregrinationis injunctum, ſaltèm ab exteris ſuſcipiendum. Secundum vel Romæ, vel alibi concedi ſolitum, breviori temporis intervallo, ac regulariter intra duas hebdomadas circumſcribitur. Hujuſmodi eſt Jubilæum, quod poſt Sixtum V. Summi Pontifices in eorum aſſumptionis initio, ad implorandum Dei auxilium pro Chriſtiana Republica

 feli-

(c) Vid. Corn. à Lap. *in d. cap. 25. Levit.*, & DD. *de Jubilæo* ſcribentes; ſed ante alios Cyrill. Franch. *in Comm. de Anno Jubil.*, ubi id latè probat, & omnes Judaici Jubilæi circunſtantias ingenioſè de noſtro interpretatur.

(d) *Cap. 26.* Quem locum exponit D. Luc. *cap.* 4. Et ſuper utrumque vide D. Hyeron. D. Ambroſ. Corn. à Lap. alioſque interpretes.

feliciter gubernanda indicere conſueverunt. Duo iſta Jubilæorum genera in remiſſionis amplitudine, & qualitate ſubſtantialiter conveniunt, eſtò in pluribus aliis circunſtantiis diferant. Jubilæum ordinarium eorum primum, ac præcipuum eſt; ideòque id Jubilæi Eccleſiaſtici appellatione antonomaſticè intelligitur. Ordinarium dicitur, quoniam de jure conſtitutum, aut firmatum eſt. De eo quippè extant inter Extravagantes communes celeberrimæ Bonifacii VIII., Clementis VI., & Sixti IV. Conſtitutiones. (e)

5. Singulis ſupra relatis remiſſionibus convenit ratio Jubilæi; non tamen omnibus univocè, ſed aliis propriè, aliis minus propriè. Jubilæum etenim primò, *per ſe*, & principaliter ſolum de Chriſti Redemptione; de reliquis verò ſecundariò, quatenus nempè ab ea cauſalitatem, vel attributionem habent, prædicatur. Hinc ſecundò dicitur de remiſſione, quam conſecuti ſunt credentes in Paracliti Spiritus Adventu; hæc namque ut à primâ dependens ad Chriſtum, ejuſque glorioſam Aſcenſionem reſpectum dicit, juxta illud Domini. (f) *Niſi enim abiero, Paraclitus non veniet ad vos*. Tertiò enunciatur de Eccleſiaſtico Jubilæo; ſiquidem per participationem illius à Chriſto in Cruce exhibiti, vim, & valorem accipit. Quartò demùm, & quidem minùs propriè, de Moſaicâ remiſſione dici poteſt; huic enim, tùnc quòd temporale commodum dumtaxat reſpiceret, tùm quòd veri Jubilæi à Chriſto præſtiti merè umbra, & figura fuerit, Jubilæi ratio ſolum analogicè accomodatur. Quod ex D. Chryſoſtomo Gratianus innuit. (g)

6. His exceptis, aliis remiſſionibus, vel liberationibus Jubilæi ratio nullatenùs applicabilis eſt, ideòque nec abſolutionibus judicialibus, de quibus agunt Juris Conſulti, (h) ut olim Paulianus ſomniaverat; hæ namque nihil commune habent cùm Jubilæis remiſſionibus, maximè ſpiritualibus. Quod ſi doctiſſimus Bellarminus, & alii Indulgentias *abſolutiones judiciarias* appellant,

(e) Hæ ſunt Extrav. *Antiquorum*, *Unigenitus*, & *Quemadmodum*, *ſub tit. de Pœnit. & remiſſ.*

(f) Joan. cap. 16. v. 7.

(g) *In d. §. Item in L. ... de Pœnit. diſt. 1.*

(h) *In leg. Actio*, *ff. de re judic. leg.* 1. *Cod. Si Reſc. Provin.* & paſſim in *tit. de Judic. & de Sent. & re judic.*

Google

lant; (*i*) ſub iſtis eas tantum, quæ in foro interno tales ſunt, non verò legales in foro contentioſo pronunciatas, intelligunt.

7. Hinc colliges, malè, & abuſivè *Jubilæum* apud Germanos nuncupari privatas celebritates, quas aliqui quinquageſimum, vel vigeſimum quintum annum à Sacerdotio ſuſcepto, aut Matrimonio contracto implentes, cum Amicis vota ſua deferentibus, & plures annos in pace apprecantibus peragunt. Qui aliqua de hoc populari, & privato Jubilæo (ſic à vulgo dicitur) ſcire cupiant, adeant Juſtum Rikium, & ex eo ſcribentem Beyerlinck, (*j*) ad quos illos amando.

8. Multò minùs Jubilæi notio protendenda ad flagitioſum illud impietatis, & impudentiæ figmentum *Lutheranum Jubilæum* ab Hæreticis nuncupatum (*k*) à Joanne Georgio Saxoniæ Electore ſacrilegè indictum, & ab inſignioribus his Germaniæ Populis, qui fidei ſuæ Ducem, & Magiſtrum jactant Martinum Lutherum, anno 1617. celebratum, quòd tùnc annus centeſimus à Lutheri apoſtaſia clauderetur. Quod quidem ipſe ſacrilegus Saxoniæ Dux evulgandum curavit, monetis aureis, & argenteis excuſis cum hâc epigraphe, *Sæculum Lutheranum* 1617. Cujus exemplum ſecuti Norimbergenſes, nummum alium cuderunt, cujus faciem hæc inſcriptio, *Martinus Lutherus Theologiæ Doctor*, poſticam verò partem hæc alia, *Eccleſia Norica jubilans*, circumcingebat.

CAPUT III.

De noſtro Eccleſiaſtico Jubilæo, & Anno Sancto, variiſque ejus appellationibus.

1. PRopriam, & adæquatam Jubilæi Ordinarii definitionem nullus Auctorum, quos viderim, adducit. Plerique ſanè Indulgentiæ plenariæ definitione contenti, quaſdam ſimplices, & pro-

(*i*) Bellarm. *de Indulg. lib. 1. c. 5.* Cajet. *tract. 15. ad Jul. Medic. cap. 6.* Dom. à Soto, *in 4. diſt. 21. q. 1. art. 2.*

(*j*) Rik. *de Jubil. cap. 25* Beyerl. *in Theat. vit. hum. v. Jubilæum lit. H.*

(*k*) De hoc vid. Briet. *in Annal.* & Beyerl. *in Theat. vit. hum. v. Jubilæum*, ubi hoc contumelioſum Jubilæum meritò deridet. Ejus quoque meminit nuperrimè Pet. Bodota, *in eruditiſſimo Comm. in Epiſt. Encyclic. SS. D. N.* in qua Epiſcopi Ditionis Eccleſ. præſertim pro Anno Jubilæo monentur *de cultu Templor. de can*[illegible]

prolixas, imò aliqui fortaſſe implexas Jubilæi explicationes afferunt. Mihi quidem nulla earum arridet. Quapropter, ſi hâc in re libera cuique eſt opinandi facultas, liceat & mihi ita Anni Sancti Jubilæum explicare. *Indultum Apoſtolicum, cujus virtute abſolutio à quibuſcunque peccatis reſervatis, & quorumcunque votorum ſimplicium commutatio, omnium ligaminum diſpenſatio, (l) atque Indulgentia pleniſſima, certo quodam tempore, (m) univerſaliſſimis de cauſis (n) conceditur iis, qui Romæ Baſilicas juxta Pontificis mentem viſitaverint.* Hæc Jubilæi Ordinarii deſcriptio omnes ſubſtantiales, vel præcipuas ejus differentias ex loci, & temporis deſignatione, univerſalitate cauſæ, remiſſioniſque privilegiis, atque ex majori eorum amplitudine ab Scriptoribus (o) deductas exprimere videtur. Verùntamèn, ſi ea tibi non placeat, impensè gaudebo, à te aliam feliciorem adſtrui, vel probari. Porrò nobis non eſt pro noſtra contendendum, cùm hac in re opes Græciæ poſitas non eſſe noverimus.

2. Tempus autem pro quo hæc uberrima remiſſio, debitorumque ſpiritualium abolitio à Summo Pontifice diſpenſatur, Annus integer eſſe ſolet à Veſperis Vigiliæ Nativitatis Dominicæ ad ſimilem ſubſequentis Vigiliæ ſolemnitatem computandus. (p) Va-

(l) De his facultatibus, earumque amplitudine latè Angel. Boſſi. *de tripl. privil. Jubil.* Coriolan. *de caſib. reſervat.* P. Sixtus, *de facultatib. minor. Pœnitentiar.* ſed inimitabili claritate, criterio, & elegantia SS. D. N. Benedictus XIV. in Conſtit. *Convocatis*, Romæ data apud S. Mariam Majorem, anno Dom. 1749. VI. Calend. Decemb. ubi has facultates pro hoc Anno S. concedit; Et in luculentiſſimis declarationibus, ſeu adnotationibus ad præfatam Conſtitutionem *à §. 1. uſque ad 7.*, annexis Epiſtolæ Encyclicæ Romæ datæ apud S. Mar. Major., die 3. Decemb. 1749. *ad Pœnitentiar. min. & Confeſſ. per Card. Vicar. Romæ deputatos pro occurrente Anno S.* Quam integram invenies cum aliis SS. D. N. Conſtitutionibus, & Epiſtolis in Anno Jubilæo editis, ap. P. Theodor. ab Spir. S. *in Append. ad noviſſ. ſuum Tract. Hiſtorico-Theolog. de Jubil.*

(m) Hæc eſt una ex differentiis Jubilæi Anni S., ut talis, reſpectu aliorum Jubilæorum: Illud enim, ut ait Benzon. *lib. 4. c. 2.* præſefert immaginem rei fixæ, immobilis, & perpetuæ in Eccleſia; alia verò ad placitum Pontificum quocunque tempore conceduntur, de quo ſubmurmuravit Sot. *4. diſt. 21. q. 2. art. 2.*

(n) En aliam intrinſecam noſtri Jubilæi differentiam. Alia Jubilæa ob particulares cauſas, & occationes, nempè pro rebus, aut bono alicujus Regni, vel Provinciæ concedi ſolent. Jubilæum autem ordinarium ſemper ob ſex perpetuas, univerſaliſſimas cauſas totius Chriſtianitatis bonum reſpicientes conceditur. Benz. *d. lib. 4. cap. 2.* P. Theod. *de Jubil. cap. 2.*

(o) Vid. Rutil. Benzon. *ubi prox.*

(p) Innoc. Gardini, *del Giubil. dell' Anno San. pag. 8.*

Google

Variis nominibus, & epithetis hic Annus à Romanis Pontificibus, & Scriptoribus decoratur. Sæpè quidem *Annus Jubilæus*, *Sanctus*, *Sacer*, *&* *Placabilis*; *Annus Domini*, *pœnitentiæ*, *remiſſionis*, *quietis*, *gemitus*, *renovationis*, *&* *lætitiæ* nuncupatur. Quæ egregia cognomenta, cum & Anni Jubilæi dignitatem, atque prærogativas indicent, eorumque intelligentia plurimùm ad præcipuum operis argumentum conducat, operæ pretium erit ea leviſſimo calamo explicare.

3. Proprius, & nobilius hujus anni epithetum eſt ſanctitatis appellatio à Moſaici Jubilæi anno, quem Deus *ob ſanctificationem Jubilæi* ab Hebræis ſanctificari, juſſit, (q) ad illum jure merito translata. Et quidem Annum iſtum non modo in hàc, vel illa acceptione *Sanctum* appellabis, ſed ferè in omnibus, ſub quibus nomen iſtud à Græcis, & Latinis Scriptoribus uſurpatur. Sanctus itaque eſt Annus iſte, quia totus Deo dicatus eſt, atque in eo terrenis, & civilibus negotiis ea, quæ ad Religionem, & pietatem pertinent, ſpecialiſſimè præponere debemus. Id profectò SS. D. N. admonere videtur in illis verbis: (r) *Nolite committere, ut major appareat in Negotiatoribus ſæculi terrenæ ſubſtantiæ aviditas, quam in Fidelium cordibus divitiarum cœleſtium deſiderium.* Sanctus, quoniam pretioſiſſimo Chriſti ſanguine plenum, & quaſi exundantem contemplamur: In eo quippè illius ſanguinis fons, à quo Indulgentiæ promanant, ſignis omnibus reſeratis aperitur, aſſiduèque fluens, Fideles omnes reſpergit, & emundat. (ſ) Sanctus denique, quia à malè feriatorum hominum injuria defenſus, (t) & à vitiis, ſæculi corruptelis, & ſpectaculorum ſpurcitia mun-

(q) *Cap. 25. Levit.*

(r) In Conſtitut. *Peregrinantes*, pro Jubilæi Indictione editâ III. Nonas Maji anni 1749.

(ſ) *Sanctum* apud plures Latinos idem importat, ac *ſanguine tinctum*, *&* *emundatum*. Veteres quidem nihil *ſanctum* dicebant, niſi quod hoſtiæ ſanguine eſſet aſperſum; & ſic, qui purificari volebat, hoſtiæ cruore tingebatur. Iſid. *in lib. Ætymol.* Zerula, *lib. 2. de Jubil. cap. 3.* Benzon. *lib. 4. c. 9.* Hinc Apoſtolus *ad Hebræos cap. 9.* ſcribit. *Omnia penè ſecundùm legem in ſanguine mundantur*, *&* *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.*

(t) Alii *Sanctum* a *ſagmine* deducentes, *Sanctum* intelligunt, quod ab hominum injuria defenſum, ac munitum eſt: Ita Marcianus *in leg. 8. de rer. diviſ.* Feſtus, in voce *ſagmina*, Aggen Urbic. *in Comm. ad Frontin.* Sunt autem ſagmina herbæ quædam, quas Legati Populi Romani ferebant, ne quis eos violaret. Quemadmodum Græci eam portabant, quæ *ceratia* vocatur. Feſt. *ibid.* Plin. *lib. 26. cap. 8.*

mundus; ac ſeparatus (*u*) corda noſtra à terrenis voluptatibus abſtrahit, & ad cœleſtium delitiarum contemplationem erigit.

4. Eiſdem ferè rationibus Annum hunc *Sacrum* quiſque denominare poſſet. At eò potiſſimùm *Sacrum* dici, puto, quòd ritè per Pontifices Deo conſecratus ſit. (*x*) Et ſanè, ſi antiquitùs *homo ſacer* dictus fuiſſe fertur, qui poſt diras execrationes, peſtis, vel alterius calamitatis expiandæ cauſa, Deorum alteri immolabatur; (*y*) cur Jubilæi Annum, qui poſt tot alios bellis conturbatos, vitiis laſcivientes, ac moribus corruptos, in polluti ſæculi expiationem totus Deo Optimo Maximo mancipatur, *Sacrum* prę ceteris non dicemus?

5. Mirari itaque non ſubit, & *Annum Domini* plerunque nuncupari. (*z*) Annus etenim totus Deo dicatus, *totus* (ut ait (&) N. SS. D.) *in publicis Religionis, & pietatis exercitationibus impendendus*, totus ad Fidelium ſalutem inſtitutus, & ad morum emendationem comparatus, cui, niſi Domino tribuendus?

6. Haud minùs propriè Annus *placabilis*, ſeu *pacis*, & *reconciliationis* à Summis Pontificibus vocatur. (*a*) Hæc enim appellatio deſumitur ex illis Iſaiæ verbis: (*b*) *Ut prædicarem annum placabilem Domini*, quem Gerſonius *Annum Jubilæi* interpretatur. (*c*) Et quidem nec liberè, nec impropriè Cyprianus etenim paſſim in ſuis Epiſtolis (*d*) *pacis* nomine Remiſſiones, & Indulgentias intelligit. Obvia cuique eſt illa, in quâ ad Martyres ſcribens, qui lapſis pacem ab Epiſcopis dari petierant, (*e*) ſic eloquitur: (*f*) *Et*

(*u*) *Sanctum* apud Græcos idem ſonat, ac *mundum*, & *à terra ſeparatum*. Cyrill. Franch. *de Ann. Jubil. cap.* 1. Zecula, & Benzon. *ubi sup.*

(*x*) Sic res ſacras explicat Juſtinianus *in §. 8. Inſtit. lib.* 2. *tit.* 1. & Gall. Ælius, *ap. Feſt. v. Sacer.*

(*y*) Macrob. *lib.* 3. *Saturn.* Benzon. *d. cap.* 9.

(*z*) Sic eum appellant Clemens VIII., SS. D. N. Benedictus XIV., aliique Summi Pontifices, in Conſtitutionibus, quas pro Jubilæo indicendo ſinguli ediderunt.

(&) In Conſtit. *Peregrinantes*.

(*a*) A Clem. VIII. Alexan. VI., & N. SS. D. *in ſuis Jubil. Bull.*

(*b*) Iſaias *cap.* 16.

(*c*) *Lib.* 4. *q. penult.*

(*d*) Nempè *in Epiſt.* 11. 14. 23. 30. & 54.

(*e*) Martyres olim adhùc vivi hâc gaudebant prærogativa pacem, vel indulgentiam lapſis eam ab illis petentibus, impertiendi. Hanc autem pacem, quæ erat quædam relaxatio pœnitentiæ juxta canonum pœnitentiaſdum rigorem impoſitæ, ipſi Martyres non applicabant pœnitentibus, ſed tantum pacis libellum ipſis dabant, ut cum eo Epiſcopum adeuntes pacem ab hoc acciperent, poſt Sacramentalem Confeſſionem. Sed de hoc, & de actibus prævis ad dictæ pacis aſſecutionem lege Jacob. Pamel. *ad laudatas D. Cypriani Epiſt.*

Digitized by Google

(*f*) *Et quibuſdam lapſis pacem dari, poſtulaſtis . . . Petitiones, & deſideria veſtra Epiſcopi ſervent, & ad pacem vobis petentibus dandam, maturum, & pacatum tempus expectent.* At quis Jubilæi Indulgentiam *pacem* non vocaverit, cùm per eam hoc anno pecem, & fœdus cum Domino ineamus? Cùmque hac ſpirituali pace firmatâ, per idem ſacrum Jubilæum, ac Indulgentiæ theſaurum Dei amicitiam nobis reconciliemus, juxta illud Sapientiæ: (*g*) *Infinitus eſt theſaurus hominibus, quo, qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.* (quod plures (*h*) ad Indulgentias referunt) quis ſacrum Jubilæi tempus Annum reconciliationis non dixerit?

7. Ad hanc aſſequendam pœnitentia eſt Fidelibus neceſſaria. Idcircò ad eam hoc anno peragendam communis Mater Eccleſia nos invitat. Et cùm plurimi ei obſequentes totum hunc Annum in ſacris peregrinationibus, in jejuniis, oratione, & in ſpiritu humilitatis, & cordis inſumant; aptiſſimè ad rem *pœnitentiæ*, & *mortificationis* prædicatur.

8. Proxima huic appellationi eſt illa *libertatis*, *remiſſionis*, & *veniæ*, quâ Romani Pontifices hunc Annum connotare ſolent. (*i*) Ex veteri Teſtamento (*j*) deſumitur, in quo Annus Jubilæus, *remiſſionis*, vel *libertatis Annus* nominatur. Et quidem re inſpectâ, ſicut Annus Moſaici Jubilæi ed domos, & agros redimendos, ad temporalia debita remittenda, atque ad libertates dandes fuit à Deo præſcriptus; ita noſter Annus Jubilæus ad agrum animæ redimendum, ad cœleſtem domum recuperandam, & ad Fideles de peccatorum ſervitute liberandos inſtituitur. Hanc interpretationem, quam uberrimè proſequitur Cyrillus Franchus, (*k*) Patrum, & Conciliorum loquendi uſus comprobabit. Porrò infinita propemodum ſunt loca, in quibus illi ſub *humanitatis*, (*l*) *veniæ*,

(*f*) *Epiſt.* 15. *lib.* 3.
(*g*) *Cap.* 7. *v.* 14.
(*h*) Cajet. *tom.* 1. *trac.* 30. *q. unica*, Navarr. *de Jubel. notab.* 32.
(*i*) Ita Bonifacius VIII., Sixtus IV., Alexander VI., & N. SS. D. Benedictus XIV. *in ſuis reſpectivis Conſtitution. pro Jubilæo Univerſali indicendo emanatis.*
(*j*) *Levit. c.* 25. *& Numer. c.* 36.
(*k*) *In Comment. de Anno Jubil. à cap.* 20. *uſque ad* 27.
(*l*) Conc. Nicæn. 1. *c.* 5. & 12. vel in alia editione 12.

veniæ, (*m*) *remiſſæ*, (*n*) *aut remiſſionis* (*o*) nomine de indulgentiis loquuntur.

9. Perſepè etiam hic Annus dicitur *Annus ſolutionis*; (*p*) pœnæ ſcilicet debitæ pro culpis jam remiſſis. Sub hoc ſolutionis vocabulo D. Cyprianum quoque indulgentias indicaſſe comperies. (*q*) Singulariſſimum autem in hac ſolutione eſt, quod non fiat ex proprio, ſed ex alieno; &, quod mirabilius, ex ipſius Creditoris theſauro ad id in Eccleſia depoſito, & ab ejus Præſule diſpenſato.

10. Haud minùs, quàm Hebraico, noſtro Jubilæi Anno *quietis* denominatio tribuitur. (*r*) Eſt enim hic Annus Sabbathum Sabbathorum, ut vult Benzonius. (*ſ*) Verùm enim verò monitum te vellem, quietis, ut illum, non dici, quia in eo à corporali terræ labore, & opificiis ſit ceſſandum, ſed potiùs, quia à vitiis, & ab his, quæ nos ad vitia traducunt, penitùs vacare debeamus. *Rectè enim* (teſte Hieronymo (*t*) *ille Sabbathum agit, qui ſpiritualibus vacat, & à pravis operibus ſe abſtinet*. Hinc occurrentis Jubilæi Annum puræ, & perfectiſſimæ quietis in Statu Eccleſiaſtico putabis; in eo ſiquidem, non modò vitioſi peccatorum labores relaxantur, ſed etiam pernitioſiſſimi larvarum, hiſtrionumque ludi ope N.SS.D. ſuſpenduntur.

11. Præterea Annus germinis, & ubertatis appellatur. (*u*) Fideles ſanè hoc Anno converſi, & eorum plurimi ab excommunicatione abſoluti, tanquam novæ Eccleſiæ plantæ, novos innovatæ vitæ flores, fructuſque germinant, ita ut, ſicut Benzonius ait, (*x*) in eo Romæ cani poſſit; *Flores apparuerunt in terrâ noſtrâ*. (*y*) Quid-

(*m*) Ancyr. c. 2. 3. & 22.
(*n*) D. Cypr. *Epiſt.* 21. *ad Lucian.* & 10. 59. & 73. *ad Jubajan.* Ad eas notat Pamel. hanc vocem ex Tertulliano mutuatam eſſe. Ea utitur Auguſt. *lib.* 3. *de Baptiſ. contra Donat. c.* 18.
(*o*) *Ibid.* Cypr.
(*p*) Benzon. *lib.* 1. *cap.* 3. *ex Matth. c.* 16.
(*q*) *Epiſt.* 2. *ad Antonian. lib.* 2. & *Epiſt.* 55. *ad Cornel.*
(*r*) V. d. h. n. 2. *ubi prox.*
(*ſ*) *Lib.* 4. *cap.* 9.
(*t*) *Sup. Ezech. cap.* 22. & 14. & *in Iſai. cap.* 56. & 58.
(*u*) Vid. Cajet. *in cap.* 25. *Levit.* Corn. à Lap. *ibid.* Riccard. à S. Vict. *de ſacu. conſt. cap.* 24. Benz. *d. c.* 9.
(*x*) *Ibid.*
(*y*) *Cantic. cap.* 22.

Quidni? Hoc Anno omnia, quæ ad terreſtrem germinationem, & ubertatem requiruntur; terra videlicet diſpoſita, Sol, ſemen, & aqua ad ſpiritualem fructificationem concurrunt, ut notavit Angelus Pientinus. (z) Terra in Fidelium animabus per Peregrinationes, & Evangelicos Miniſtros ad indulgentiam, & gratiam recipiendam paratis: Semen in verbo Dei ab ipſis Apoſtolicis Viris Romæ diſſeminato: Aqua in cordium compunctione, & veræ pœnitentiæ lachrymis: Sol denique in Chriſto liberaliùs hoc Anno ſuæ Benignitatis radios per indulgentiam ſpargente.

12. Itaquè Chriſtiani quondam mundanis voluptatibus exſiccati, & gratiæ fructibus deſtituti, hoc Anno ex prævenientis gratiæ dono promoti, compunctionis aquis irrigati, atque lumine ſuper cœleſtis Solis illuſtrati, nedum dignos pœnitentiæ fructus faciunt, ſed etiam præciſis peccatorum ramis, excuſſis vanitatum frondibus, malarumque cogitationum volucribus, ſuper illos inſedentibus, fugatis, adeò robuſtas ſancti propoſiti, ac correctionis radices immittunt, ut Fidelium cordibus ita virentibus, deinceps fruges ſpirituales abundantiſſimè in Eccleſia demetantur.

13. Hinc *renovationis Annum* meritò vocari, (&) cognoſces. Per generalem porrò Jubilæi pœnitentiam tota Chriſtiana Reſpublica in morum emendatione renovatur. Etenim ſi ullo unquam tempore Deus piè colitur, honorantur Sancti, Eccleſiæ unitas agnoſcitur, Hæretici convertuntur, impii ad pœnitentiam, ad devotionem, & virtutem inflammantur; hæc profectò omnia in Sacro Jubilæi Anno feliciter contingunt. Qui deliitiis, & voluptatibus demulcebantur, aſperam peregrinationem inſtituunt, qui theatra frequentabant, Eccleſias viſitant, qui Summo Pontifici obſiſtebant, ejus pedibus ſubmittuntur. Sicque vireſcente virtute, priſtino ſplendori Eccleſia, & Religio reſtituitur.

14. Tandem *Annus Jubilæus*, ſive *lætitiæ*, & *gaudii* profertur. (*a*) Et quidem Jubilæum, quod homines à crimine expiat, jubilum, & lætitiam animo ingerit, quia ſi ex peccati ſervitute mœror, ex libertate, & ſana conſcientia gaudium profluit. Hoc autem

(z) *Lib*. 3. *cap*. 4.
(&) Sic cum dicit N. SS. D. Benedictus XIV.
(a) Vide *ſup*. *cap*. 1.

tem longè diſtat à voluptuosâ, & mundanâ lætitiâ, quâ in theatris potiſſimùm homines delectantur. Imò, ut, Deo dante, demonſtrabimus, ipſi è Regione opponitur.

15. Pluribus aliis nominibus, & epithetis Annus Jubilæi à Summis Pontificibus, & Scriptoribus decoratur, ut videre licet apud Rutilium Benzonium, (b) ad quem te amando, ut operæ pretium facias. Hæc verò ſufficere arbitror, ut cuique innoteſcat, quàm meritò Caſſanæus, (c) & alii ſcripſerint Annum iſtum non modò eſſe verè magnum, ſed etiam præ cæteris præſtantiſſimum.

CAPUT IV.

De Eccleſiaſtici Jubilæi origine, antiquitate, & inſtitutione.

1. VEteres Scriptores auctoritatem, & certitudinem Indulgentiarum ex antiquitate potiùs, quàm ex Pontificis poteſtate metientes, tam antiquum faciunt Jubilæum, ut à Mundi primordiis incœpiſſe conſcripſerint. (d) Nonnulli latiſſimè loquentes die ſeptimo creationis Univerſi, quòd in eo Deus quieverit ab opere, quod patrarat, originem habuiſſe putant. (e) Alii verò vel anno poſt Diluvium quinquageſimo, (f) per pactum reconciliationis initum à Deo cum Noè, ejuſque poſteritate, (g) vel tempore Abrahæ, (h) cùm, adversùs quinque Reges pro liberatione Lot, fratris ſui, aliorumque captivorum dimicans, eos de illorum manibus abduxit. At his meritò ſuccenſes. Si enim de Hebraico Jubilæo loquantur, apertiſſimè conſtat ex Levitico, à Deo Moſis tempore præſcriptum fuiſſe, poſtquam Iſraelitæ ex Ægypto, & Pharaonis tyrannide educti, terram promiſſam ingreſſi fuerant. Si autem de Eccleſiaſtico, eos, neceſsè eſt, impropriè, & translatitiè loqui.

2. Plu-

(b) *De Anno Jubil. lib.* 1, *cap.* 3. & *lib.* 4. *cap.* 9.
(c) *In Catal. glor. Mundi*, *par.* 12. *conſid.* 59.
(d) Ex Hebræorum traditione per Euſeb. Cæſarienſ. aſſertâ.
(e) Paul. *in prior. lib. de Jubil. cap.* 2.
(f) Coſm. Montigian. *in tract. de Jubil. cap.* 3.
(g) *Geneſ. cap.* 9.
(h) Hug. Cardin. *in cap.* 25. *Levit.* Turrecrem. *ad d.* 6. *Item in Levitico*. Joan. de Anan. *tract. de ann. Jubil.* immediatè poſito poſt Rubr. *de crim. falſ.*

2. Plures etiam de Jubilæo in lege Gratiæ latè, & implexè, eſtò magis propriè loquentes, Jubilæum à Nativitate, aut Paſſione Chriſti, (*i*) vel à Pontificatûs, ſeu Pœnitentiæ inſtitutione; (*j*) ſive à tempore Apoſtolorum (*k*) incepiſſe exiſtimant. Nos autem, qui unius Eccleſiaſtici Jubilæi originem, atque inſtitutionem inquirimus, majoris claritatis gratia diſtinctiùs procedemus.

3. Primùm ſecernendum eſt noſtrum Jubilæum ordinarium ab aliis Jubilæis ſuperiori capite relatis, (*l*) & à Doctoribus admiſſis. Deinde diſtinguendum, arbitror, inter illud, ut tale, & ejus Indulgentiam: Hæc enim nudè ſumpta longè diſtat ab Anni Sancti Jubilæo. Quo à pleriſque non obſervato, valdè obſcurè hoc in articulo procedunt. His conſtitutis, ſic judico. Jubilæum Eccleſiaſticum, prout Indulgentia, quantùm ad cauſam effectricem incepit à Nativitate, & Paſſione Chriſti, à cujus infinito meritorum theſauro omnis Indulgentia vim, & cauſalitatem traxit: (*m*) Secundùm aliquam præfigurationem, ut ait Turrecremata, (*n*) vel inſinuationem, ut meliùs fortaſſe Benzonius, (*o*) in plenariis indulgentiis, quas Chriſtus Magdalenæ, & Latroni diſpenſavit, huic, cùm dixit: (*p*) *Hodie mecum eris in Paradiſo*; & illi, quando eam ſine ulla ſatisfactione (ut alias neceſſaria erat) à culpâ, & pœnâ liberam dimiſit. (*q*) Quantùm ad poteſtatem verò illam concedendi, à clavium traditione fluxit. (*r*) Jubilæum autem Eccleſiaſticum Anni Sancti, ut tale, reſpectu durationis, temporis certitudinis, univerſalitatis, aliarumque circunſtantiarum conſideratum, licet in ſigno, & figura per Moſaicum Jubilæum adumbratetur, verè, & propriè ſolùm principium habuit ex Apoſtoli-

(*i*) Joan. Monach. *in Gloſ. ad Extravag.* Antiquorum, *de Pænit. & Remiſſ.* Benzon. *de Ann. Jubil. lib.* 3. *cap.* 5. Zerul. *de Jubil. lib.* 1. *cap.* 8.
(*j*) Zerula, *ibid.*
(*k*) Palaus & Amic. apud Gardin. *de Jubil. p.* 7.
(*l*) *Cap.* 2. *ſup.*
(*m*) Navarr. *de Indulg. notab.* 13. Suarez, 3. *p. q.* 1. *art.* 2. *diſp.* 4. *ſect.* 4. Vega, *lib.* 4. *in Conc. Trident. cap.* 6., & *lib.* 7. *cap.* 7. Bellarm. *de Indulg. lib.* 1. *cap.* 2. & *paſſim Theologi.*
(*n*) *Ad* *d.* 6. *Item in Levitico*, *c. Si quis*, *de Pænit. diſt.* 1. *num.* 99.
(*o*) Benz. *lib.* 3 *cap.* 5.
(*p*) *Matth. cap.* 17.
(*q*) Ob poteſtatis excelentiam, quando Chriſtus peccata alicui remittebat, culpam, & pœnam pleniſſime condonabat. *Sot. in* 4. *diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 3. *concl.* 1.
(*r*) Cajet. *de Inſtit. Rom. Pontif. c.* 5. Maldon. & alii Interpr. *in Matth. cap.* 16. & 18. Bellarm. *lib.* 1. *de Indulg. cap.* 3. Medin. *de Indulg. diſp.* 5. *cap.* 17.

câ diſpenſatione primò illud conſtituente.

4. At, ſi, quænam hæc fuerit, ſcire cupias, difficilem admodum, & perobſcuram controverſiam nos aggredi, opus eſt. Adeò enim implexa, & opinabilis eſt res iſta, ut nonnulli ingenuè fateantur, eam, ideòque noſtri Jubilæi initium ignotum prorsùs, atque incertum remanſiſſe. (*f*) Reliqui de hoc acriter concertant, & tamen adhùc ſub judice lis eſt. In eo tamen conſentiunt omnes, quod circa id, regnante Bonifacio VIII., Romæ contigiſſe refert Jacobus Stephaneſius, Cardinalis Sancti Georgii in *Velo aureo*, ipſius Bonifacii Nepos, ejus conſiliorum particeps, & oculatus rei teſtis. (*t*) Juvat illud perſtringere, ut majori perſpicuitate in quæſtione procedamus.

5. Hic igitur Auctor (ut rem paucis complectar) ſcribit, quod exeunte ſeculo XIII., & inſtante XIV., anno ſcilicet trecenteſimo ſupra milleſimum, increbuerit in Urbe rumor repentè ſparſus, qui pollicebatur, tantam fore ejus anni prærogativam, ut ad Apoſtolorum Principis Baſilicam pergentes, omnium pleniſſimam peccatorum luitionem ſortirentur. Sub hoc piæ traditionis rumore maxima tam Exteræ, quàm Romanæ Gentis copia ſub veſperis Vigiliæ Nativitatis Dominicæ anni 1299. ad D. Petri Baſilicam confluxit. Idem ſubſequentibus diebus accidit, ita ut Calendis Januariis proximi anni tercenteſimi ſub mediam noctem tanta hominum multitudo eò accurreret, ut ſe mutuò impedientibus, vix per vias incedi poſſet, quaſi ea brevi ſintenda die expiraret gratia, aut majorem autumarent. Hæc res, ut maximè pia, & ſingularis Bonifacio delata magnâ cum admiratione affecit. Ad hanc traditionem apud Exteros, & Romanos in dies invaleſcentem comprobandam, vetuſtiores Codices, & Pontificum Bullas examinari juſſit; Cùmque his evolutis, nihil ad rem pertinens in Archivis reperiretur; Divinâ inſpiratione percuſſus voluit, ut inter ſuperſtites diligentia adhiberetur, eſſetne apud aliquem evulgatæ indulgentiæ memoria. Et quidem inter alios ſenior Peregrinus inventus centeſimum ſeptimum ſuæ ætatis an-

(*f*) Zerula, *de Jubil. lib.* 2. *cap.* 9. Friburg. *apud Barboſ. tom.* 3. *Collect. Doctor. in Extrav.* Aut quorum, *de Pænit. & remiſ.*

(*t*) In ſuo Libello, *de Centeſimo*, ſeu *Anno Jubilæi*, Lugduni typis impreſſo *tom.* 25. *Biblioth. Max. Patrum.*

annum aſſeverans, qui coram ipſo Summo Pontifice, & Cardinale referente depoſuit, ſe meminiſſe, Patrem ſuum Agricolam ſuperiori centeſimo Romam ſecum veniſſe ad centenariam indulgentiam promerendam; & inſuper ſe ab eodem Parente admonitum fuiſſe, ut, ſi, quod non putabat, ad alterius centeſimi tempus ſuperſtes perveniret, Romam adire non detrectaret; ubi ſingulis cujuſque centeſimi diebus centum annorum indulgentia lucrifieri poterat, & propter hanc cauſam eo ipſo anno ſe Romam à duobus filiis afferri, præcepiſſe.

6. Hanc indulgentiæ anni centeſimi famam (eodem Hiſtorico narrante) tùm hic teſtis, tùm etiam alii canitie venerandi, & præſertim duo Galli Bellovacenſis Diœceſis ſuperioris centeſimi anni memores confirmabant. Cæterùm varia, & ambigua verſabatur opinio circa indulgentiæ quantitatem. *Quibuſdam* (inquit Jacobus Cardinalis) *primo Centeſimi die omnium culparum ſordes deleri aſſerentibus, cæteris annorum centum indulgentiam fere... Aſt Romæ pleniſſimè dilui culpas apud Gallos vulgare erat, tanti ævi duos Diœceſis Bellovacenſis, pluresque alios Gallici ſoli ſupereſſe, qui meminiſſent nobis aſſertum. Quorundam verò ad ipſam Principis Apoſtolorum Baſilicam dierum trium peregrinationem opportunam recenſebat autumnitio.... ſed, ut jam nobis prætactum eſt, in ſit multiplex fama vacillabat.*

7. Tamèn his omnibus auditis, Bonifacius VIII., non temerè, & ſine diſcuſſione, vulgi opinionem ſequens, ut injicit Vir alioquin laudandus, Zegerus Vaneſpen, hoc in argumento præoccupato animo ſcribens, (*u*) ſed in Sacro Cardinalium Collegio re maturè perpenſa, ac de eorum aſſenſu, ne tanta Fidelium devotio à Deo viſibiliter ſuſcitata nutaret, VIII. Calendas Martii feſto die Cathedræ S. Petri Antiochenæ, eodem anno trecenteſimo, VI. verò Pontificatùs ſui (*x*) celeberrimam Conſtitutionem,

B 2 *Anti-*

(*u*) *Tom. 1. Oper. tit. de Indulg. 7. cap. 4. de Jubilæo.*

(*x*) In dic. Jacobi Cardin. Libro hujus Conſtitutionis editio anno III. Bonifacii Pontificatùs affigitur. Sed cùm non modo ex Natal. Alex., aliiſque Hiſtoric. ſed etiam ex ipſomet Cardin. Jacobo, *in ſuo oper. præfat.* conſtet, eam editam fuiſſe anno 1300. die 22. Februarii, & Bonifacium VIII. creatum fuiſſe ipſo Natalis Domini pervigilio anno 1294., Amanuenſis, vel Typographi incuriæ tribuendus eſt error, ut notat, P. Theod. ab Spir. S. *dic. tract. de Jubil. cap. 2. §. 2. n. 1.* Hinc neſcio, an mendum etiam, eſtò longè minùs, & forsè excuſabile, irrepſerit in Decretalium Exemplaria, quæ dictæ Etravaganti, Bonifacii Papatùs annum VI. appingunt.

Antiquorum, poſtea inter Extravagantes communes inſertam, promulgavit.

8. In ea & pro prædicto anno M.CCC., & pro aliis quibuſque centeſimis Pleniſſimam omnium peccatorum veniam conceſſit Romanis, qui *triginta diebus continuis*, *vel interpolatis*, *& ſemel ſaltem in die*, Peregrinis verò, & Forenſibus, *qui ſimili modo diebus quindecim Petri*, *& Pauli Baſilicas verè pœnitentes*, *& confeſſi viſitarent*. Tanto Fidelium plauſu hanc Bonifacii Conſtitutionem exceptam legimus, ut incredibilis peregrinorum copia, non ſolùm juvenum, ac ſenum, verùm etiam infirmorum, qui lecticis deferebantur, ex univerſa Europa; imò & ex Tartaria (y) Romam perrexerit. Si hunc Peregrinorum concurſum fusè deſcriptum videre cupis, adi Joannem Villanum, Odoricum Raynaldum, & ſæpè laudatum P. Theodorum ab Spiritu Sancto. (z) Nos enim præexcitata eruditorum controverſia jam vocat.

9. Ex Hiſtoria hactenùs relatâ non ità liquet Jubilæi antiquitas, & inſtitutio, ut circa eam dubitari non poſſit. Permulti etenim popularem Centeſimi Indulgentiæ famam à ſenioribus Peregrinis comprobatam parvi pendentes, aſſerunt, Jubilæum Anni Sancti primò inſtitutum fuiſſe à Bonifacio VIII. in prænarrata ſua Conſtitutione. (&) Innumeri alii ad antiquiora tempora illud rejicientes putant, Bonifacium VIII. Jubilæum ordinarium primùm non inſtituiſſe, ſed potiùs olim conceſſum, & frequentatum inſtauraſſe, atque ſuâ Conſtitutione certum omninò reddidiſſe. (a) Nuperrimus P. Theodorus ab Spiritu Sancto media via gradiens exiſtimat, centenariam indulgentiam ſupra Bonifacii memoriam eſſe revocandam, eam tamen non fuiſſe plenariam, ſed partialem, ac per conſequens noſtrum Jubilæum Bonifacium primò inſtituiſſe, ac literis commendaſſe. (b)

10. Ego

(y) Ut colligitur ex lapidea inſcriptione, quæ extat Florentiæ in via dicta *della Fogna*, quam affert Cl. Lamius *in Deliciis eruditor.*

(z) Joann. Vill. Florent. *lib.* 8. *Chron. cap.* 36. Oder. Raynald. *ad ann.* 1300. P. Theod. ab Spir. S. *in ſuo Tract. Hiſt. Theol. de Jubil. cap.* 2. §. 1.

(&) Aubeus *in vita Bonif. VIII.* Joan. Trithem *in Chron Hirſaugen.* Mæjer. *in Annal. Flandr.* Hieron. Ghilin. *in Annal. Alexandrin ad* d. *ann.* 1300. Polyd. Virgil. *de rer. invent. lib.* 8. c. 2. Plat. *in Bonif. VIII.* Luc. Pinell. *de indulg. cap.* 23.

(a) Navarr. *de Jubil. notab.* 7., & 14. Angel. Piertin. *lib.* 1. *c.* 9. Renzon. *lib.* 3. *c.* 5. Greſer. *de ſacr. peregr. lib.* 2. *c.* 15. Joſeph. Suareſ. *in Vindiciis Silveſtri II. c.* 2. §. *Hoc anno*. Cardin. Guido Bent. vol. *in ſuis memor. pag.* 153. *&c.*

(b) In ſuo tract. Hiſtorico-Theolog. *de Jubilæo c.* 2. §. 1. *p.* 23.

10. Ego verò, etſi hujus diſſertiſſimi Scriptoris auctoritate, & rationum, quas affert, momentis commoveor, ut debeo, plurimùm, adduci tamen non poſſum, ut alicui ex illis ſubſcribam opinionibus, quæ vel omnem detrahunt auctoritatem relatæ Jubilæi traditioni, vel ejus, proindèque Indulgentiæ plenariæ antiquitatem imminuunt, & quodammodò favere videntur Hæreticis, qui omnem ſuam operam in id potiſſimùm conferunt, ut avitam hanc Eccleſiæ diſciplinam noviter introductam perſuadeant, ac deſtruant. Malo equidem in re tàm pia, quàm dubioſa aliquantulùm credulus ab aliquibus Criticis cenſeri, quàm nimiùm ſapiens à piè, & veriſimiliter credentibus judicari. Idcircò cum Auctoribus ſecundæ ſententiæ Jubilæi antiquitatem à ſeculis Bonifacio VIII. anterioribus repetere perplacet. Et quidem ut id obtineam, multum apud me valet antiqua, & conſtans illa traditio ab ipſo Bonifacio VIII. ut *fida* confirmata in ſuæ Conſtitutionis exordio, ibi: *Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem Baſilicam Principis Apoſtolorum de Urbe conceſſæ ſunt magnæ remiſſiones, & indulgentiæ.* Cui accedit Gloſſæ auctoritas, in qua Joannes Monachus Bonifacio coævus ab ipſomet Pontifice accepiſſe teſtatur, hunc motum fuiſſe ad plenariam indulgentiam in anno centeſimo concedendam, *quia vulgatum erat, quod talis indulgentia in annis centeſimis à Nativitate Chriſti olim concedi ſolebat.*

11. Iiſdem ferè Bonifacianæ Conſtitutionis verbis hanc Jubilæi, vel centenariæ indulgentiæ traditionem Paulus II., Julius III., & Clemens VIII. in ſuis reſpectivis Conſtitutionibus *de Jubilæo* aſſeverant. Ut aliorum verba prætercam, hæc Clementis VIII. audire non pigeat. (c) *Quemadmodum* (ait) *veteri traditione, & majorum monumentis teſtatum eſt, antiquiſſimo Romanæ Eccleſiæ inſtituto... pro ſingulis centenis annis, à Chriſti Domini, & Salvatoris N. Natali ampliſſima peccatorum indulgentia... propoſita erant iis, qui Sacra Beatorum Apoſtolórum limina piè, ac devotè viſitarent. Quam ſanè vetuſtam inſtitutionem anni centeſimi... Romæ celebrandi felicis recordationis Bonifacius VIII. Prædeceſſor N. ſuo Apoſtolico Decreto ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum confir-*

 ma-

(c) Ex ſuâ Conſtit., quæ incipit, *Annus Domini*, emanata die 19. Maji, ann. 1599.

mavit. En igitur *magnas*, imò *ampliſſimas* anni centeſimi indulgentias ante Bonifacium inſtitutas, & ab hoc ſolùm *ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum confirmatas*.

12. Quod ſi his reſpondeas cum doctiſſimo P. Theodoro à Spiritu Sancto. (*d*) Ex his argumentis, & obſervationibus centenarias indulgentias Bonifacio VIII. antiquiores, *magnas* quidem, imò & *ampliſſimas*, comparativè ad tùnc vigentem Eccleſiæ diſciplinam exiguas concedendi annorum, vel dierum remiſſiones, non verò plenarias evinci. Hanc ingenioſiſſimam interpretationem nullatenùs patiuntur illa Clementinæ Conſtitutionis verba. *Quam vetuſtam inſtitutionem anni centeſimi... Bonifacius VIII. ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum confirmavit*; nec illa Gloſſæ à Bonifacii ore excepta: *Quia vulgatum erat, quòd talis indulgentia... in annis centeſimis olim concedi ſolebat*. Multò autem minùs ea alia ipſius Extravagantis *Antiquorum*, in principio, ibi: *Nos igitur... qui hujuſmodi remiſſiones, & indulgentias omnes, & ſingulas ratas, & gratas habentes, ipſas authoritate Apoſtolica confirmamus, & approbamus, & etiam innovamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus*. Hæc ſiquidem omnia, & potiſſimum illa Gloſſę, *quod talis indulgentia*, perſpicuè arguunt, centenarias magnas indulgentias, de quibus fama increbuerat, & fida relatio facta erat Bonifacio VIII., tales fuiſſe, quales eſſe conſtat eas, quas hic Pontifex confirmando conceſſit, & quas nemo plenarias eſſe dubitavit. Nec mirum videri debet has, quas tu *magnas* dicis, indulgentias, ut plenarias declarari: nàm tales olim fuiſſe, ſaltem per duos teſtes Bellovacenſes ipſi Bonifacio conſtiterat.

13. Hinc non magni faciendum crediderim argumentum, quod ex Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & Sacrarum Reliquiarum reſponſione in Cauſa Trecorianarum remiſſionum, promit, & urget P. Theodorus, (*e*) ut probet antiquas indulgentias *magnas* vocatas, plenarias non eſſe cenſendas, ſed partiales. In ea etenim Cauſa, ipſo P. Theodoro referente, traditio ſolum erat, vel allegabatur de *magnis indulgentiis*, nullatenus verò

de

(*d*) *Ubi nup. pag. 25. num. 12.*
(*e*) *Ibid.*

de *plenariis*, & *ampliſſimis*, ut in noſtro caſu. Propterea, eſtò Eminentiſſimi Patres cenſuerint: (*f*) *Indulgentias Trecorianas magnas non eſſe confirmandas, & declarandas ſub enuntiatione plenariæ*, non idem judicium de noſtris centenariis eſt ferendum, nec ita facilè particularis unius caſus deciſio ad alias protrahenda. (*g*)

14. Nec ante Bonifacii VIII. tempora tam rara, & inuſitata erat (quidquid multi dixerint) indulgentiæ plenariæ conceſſio his, qui aliquas Eccleſias viſitarent, ut præter aſſignatas ab eodem P. Theodoro, Tranſmarinam ſcilicet, & Aſſiſienſem, nulla alia fuerit comperta. Porrò Godeffridi Henſchenii, & Danielis Papebrochii diligentia aliam antiquiorem invenit Lucanæ Eccleſiæ ab Alexandro II. conceſſam anno 1070. Placet eorum teſtimonium producere: Sic enim ii diſſerunt: (*h*) *Præviſſe Urbano videntur quoad Indulgentias ſacras quædam loca viſitantibus concedendas Pontifices aliqui, ſed non multò antiquiores, eodemque undecimo ſeculo. Nam in Codice MSS. Lucenſis Eccleſiæ inter Vaticanæ Bibliothecæ libros ſervato, invenio quòd Alexander II. an. 1070. peractâ ejuſdem Eccleſiæ ſolemniſſimâ dedicatione conceſſit, ut octo dierum ſpatio dedicationis memoria perageretur annis ſingulis, conceſsâ Indulgentiâ pœnitentiæ.* Et licet iſta nec plenaria, nec partialis dicatur, tamen Conſtantinus Roncaglia, eam plenariam fuiſſe, ſic invincibiliter demonſtrat. (*i*) *Quamvis autem* (inquit) *verba CONCESSA INDULGENTIA POENITENTIÆ non ſatis exprimere videantur PLENARIAM fuiſſe, id tamen non obſcurè colligitur ex antiquo Codice Bibliothecæ, & ex alio Archivi Canonicorum Lucanæ Cathedralis; ibi enim dicitur celebrantes die Dedicationis ab omni jugo pœnitentiæ eſſe abſolutos: quod jam pridem & obſervaverat celeberrimus Florentinius, l. 1. p. 107. de Geſtis Mathildis.*

15. Si itaque hæc plenaria indulgentia anno 1070. privatæ, & particulari Eccleſiæ erat jam conceſſa, & deinde quotannis frequentata, quid vetat quominùs pleniſſima etiam Jubilæi remiſſio

 ſecu-

(*f*) Die 19. Novembr. ann. 1569.
(*g*) Ex vulgari Juris proloquio.
(*h*) In Conatu Chronico hiſtor. ad Catal. Pontific. diſſert. 27. num. 8. quique habetur in Propilæo ad Acta SS. Maji.
(*i*) In not. ad Hiſtor. & Diſſertat. Natal. Alex. tom. 24. Diſſert. 9. de Concil. Lateran. III. ad fin. artic. 4. pag. mihi 374.

ſeculum XIII. præceſſerit? Id ſanè eò veriſimilius videtur, quò præſtantior eſt D. Petri Baſilica, & minùs frequens Jubilæi centenaria ſolemnitas, quàm anniverſaria Lucanorum indulgentia. Jubilæum igitur Anni Sancti Bonifacii VIII. ſecula exſuperavit. Et quidem Joſephus Suareſius, quondam Epiſcopus Vaſionenſis ſingulas Jubilæorum celebrationes uſque ad Silveſtri II. centeſimum peractas oſtendere nititur. (j) Id eum plenè aſſecutum fuiſſe, affirmare non audeo; tamen veriſimilia bene multa proponit, quæ ſi videas, operæ pretium facies.

16. Ex omnibus hùc uſque dictis, & firmatis hæc ſtatues corollaria. Primum; Bonifacium VIII. non fuiſſe noſtri Univerſalis Jubilæi Inventorem, ſed potiùs jam inſtituti, & ob Eccleſiæ perſecutiones, (k) bella (l) aut hæreſes (m) aliquando interrupti, aut penè obliterati Inſtauratorem. Secundum; Nullam ſcriptam Jubilæi Conſtitutionem illà Bonifacii VIII. vetuſtiorem reperiri, & ideò hunc Pontificem primum, qui Jubilæi inſtitutionem literis conſignaverit, à pleriſque cenſeri. Tertium; Indulgentiam Jubilæam antiquiſſimam quidem eſſe, ſed de ejus initio, & primà inſtitutione nihil certum, & exploratum haberi poſſe.

CAPUT V.

Jubilai progreſſus hiſtoria perſtringitur.

1. NOndum à Bonifaciano Jubilæo anni quinquaginta erant elapſi, cùm Clemens VI. Romani Populi Legatis rogantibus, ut humanæ vitæ brevitati conſuleret, magnum Centeſimi

---

(j) *In Vindic. Silveſtri II. cap. 2. §.* Hoc anno.

(k) Ferventibus enim perſecutionibus, nec docendæ plebis dabatur facultas, *c. 2. diſt. 15. c. 1. diſt. 25.* D. Iſidor. *6. Etym. cap. 16.*, nec Romam coacervatim adire, & ſacra publicè peragere licebat. Zerula, *de Jubil. lib. 2. cap. 9.*

(l) Ita Turrecremata, & Zerula, *ubi ſup.* Quia (ut ait Cicero) *cùm armis certatur, nihil agitur cùm dignitate.* Et quidem Bellorum tumultûs iter ad ſacrum theſaurum anni Jubilæi conſequendum difficile ſæpè reddidiſſe, oſtendit noviſſimè eloquentiſſimus Petr. Rodota in Comm. *ad d. Epiſt. Encycl.*

(m) Satanas etiam ad impediendum forſitan hoc bonum ſuſcitavit hæreſes vaſtiſſimas, ut ait Theodoric. *Hiſt. trep. lib. 1. c. 12.* Sozom. *c. 7.* Quâ de causâ anno Jubilæi 1575. ferè nullos Germanos, Saxones, Bohemos, nec Britanos Romam petiiſſe agtai Zerula *dic. cap. 9.* omninò videndus.

mi Jubilæum ad recurrentem quinquageſimum annum, Moſaici Jubilæi exemplo motus revocavit. (n) Et inſuper in ſua Conſtitutione, præter Apoſtolorum Petri, & Pauli Baſilicas, quas ſolas Bonifacius VIII. ad Jubilæum promerendum adiri juſerat, Lateranenſem etiam viſitandam injunxit. Addidit inſuper, ut poſt Romanum iter arreptum legitimè impediti, quominùs Romam eo anno videre poſſent, aut qui in via, vel præfinitis Baſilicarum viſitationibus non completis in Urbe decederent verè pœnitentes, & confeſſi, eandem indulgentiam lucrarentur. His itaque conſtitutis, anno 1350. Clemens VI. numeroſiſſimo Peregrinorum concurſu Jubilæum Univerſale celebravit.

2. Gregorius XI. unoquoque trigeſimo tertio anno recurrente Jubilæum celebrandum indixiſſe aliqui exiſtimarunt. (o) At quamvis Romanorum ſupplicationes eum ad id ſtatuendum flexerint, compertum eſt jam (p) hunc Pontificem, vel morte præventum, vel aliis curis implicatum decreviſſe duntaxat, ut Anno Jubilæi recurrente, hoc conſecuturi præter SS. Apoſtolorum, & Lateranenſem, etiam S. Mariæ Majoris Baſilicam viſitarent; ut in ejus literis datis Avenione III. Calendas Maji an. 1373., & à Nicolao V. relatis (q) continetur. Et hinc fortaſsè Gregorianum Jubilæum fuit perperàm ab aliquibus invectum.

3. Veruntamèn hoc Gregorii propoſitum ejus ſucceſſor Urbanus VI. explevit. Vitę enim fugacitate perſuaſus ad ununquemque annum trigeſimum tertium, intuitu paris numeri annorum vitæ Chriſti, (r) Jubilæi ſolemnitatem contraxit anno 1389., (ſ) eamque pro ſubſequente anno 1390. ſic primò celebrandam edixit. At cum è vivis exceſſiſſet Idibus Octobris ejuſdem anni 1389. (t) eam

(n) In ſua Conſtitutione, *Unigenitus*, poſita quoquè inter Extrav. comm. ſub eod. tit. *de Pænit.*, *& Remiſſ.*
(o) Ex Bullâ Jubilæi Alexandri VI. incipiente, *Inter curas*, & ex ſimili Clementis VII., quæ incipit, *Inter ſollicitudines*.
(p) Apud Cyr. Franch. *de Anno Jubil. c. 9.* P. Ant. Santarelli, in ſuo Tract. idiom. Italici, *de Jubilæo Anni 1700.* P. Theod. ab Spir. S. *de Jubil. cap. 2. §. 3. n. 3.* Petr. Rodula, *ubi ſup. pag. 6.*
(q) In ſua Conſt. incipiente, *Immenſa*, edita xv. Calend. Januarii, an. 1449.
(r) De annis vitæ Chriſti non una fuit opinio. Sed illi 33. communiter numerantur. Vide Perer. *in Daniel. lib. 22. q. 7.* Baron. *in Annal.* Lucidum, *de verò die Paſſion. Chr. cap. 9.*
(ſ) Ut conſtat ex ſua Conſtit. cujus initium eſt, *Salvator Noſter*, emanata vi. Idus Apr. an. 1389., & ex illa Pauli II. quæ incipit, *Ineffabilis*.

(*t*) eam ipſe peragere non potuit. Tamèn juxtà ejus ordinationem à Bonifacio IX. abſolutam fuiſſe eodem anno 1390., memoriæ proditum eſt. (*u*) Verùm cùm vexante per idem tempus Eccleſiam ſchiſmate omnium teterrimo, (*x*) Hiſpani, Galli, aliæque Nationes nec Urbanum, nec, hoc vita functo, Bonifacium, ut legitimos Pontifices agnoſcerent; Jubilæum iſtud non fuit ab univerſo Orbe Chriſtiano celebratum. Mirari itaque non ſubit paucos peregrinos ad illud comparandum Romam confluxiſſe, & inde nonnullos Scriptores hanc Jubilæi ſolemnitatem negare, vel omittere.

4. Anno Jubilæi Romæ abſoluto, ipſe Bonifacius eandem Indulgentiam per modum Jubilæi ad Colonienſem, Magdemburgenſem, & alias Civitates extendit. (*y*) Et, cùm ante eum nullus Pontifex quid tale feciſſe comperiatur, meritò Bonifacium IX. hujus extenſionis Auctorem reputabis.

5. Idem Pontifex anno ſeculari 1400. Jubilæi ſolemnia reiteravit. (*z*) A Romanis enim exoratus, ex Aſſiſio, ubi commorabatur, ad Urbem ea dicto anno celebraturus rediit. (*&*) Et quidem tunc Jubilæum Univerſale peregiſſe, concors eſt Hiſtoricorum opinio. (*a*) Nihilominùs P. Theodorus à Spiritu Sancto, ne duo Jubilæa ordinaria in unius decennii decurſu Bonifacio adſcribat, hoc ultimum in dubium vertit. (*b*) Magnum ei ingerit ſcrupulum temporis ſupputatio, quâ inſpectâ annus 1400. non poterat eſſe Jubilæus juxtà noviſſimam Urbani VI. Conſtitutionem. At iſtam temporis rationem tanti fortaſsè non faceret, ſi animadvertiſſet, quòd, dùm eam in Bonifaciano Jubilæo ſervare ſtudet, ipſam in ſubſequenti quinquageſimo deſtruit, & perturbat.

Subla-

(*t*) Platina, Burius, & alii in *Cathal. Roman. Pontific.*

(*u*) S. Antonin. *p. 3. Hiſt. tit. 22. cap. 11. §. 14.* Auctor. Mag. Belg. Chron. *p. 300.* Theodor. à Niem, *lib. 1. de Schiſm. cap. 88.* Ghirardacc. *p. 2. lib. 24.* Gobelin. *in Coſmodr. ætat. 6. cap. 86.* Natal. Alex. *in Bonif. IX.* Nuperrimè P. Theodor. & Petr. Rodota, *ubi ſupr.*

(*x*) Nempè Avenionenſe.

(*y*) Vanesp. *Jur. Eccleſ. p. 1. tit. 7. cap. 4. n. 16.* P. Theod. *d. cap. 1.*; ubi id latè ex aliis refert.

(*z*) Ita nuperrimus Petr. Rodota, *in Comm. ad prædic. Epiſt. Encyclic. N. SS. D. p. 7.*

(*&*) Platina *in Bonif. IX.* Ægid. Card. Viterbienſ. *in ſua Hiſt. MSS. vigin. ſecul.* Romæ ſervata in Biblioth. Angel. ap. PP. Eremitas S. Aug.

(*a*) Sabellic. *lib. 9. Ænead. 9.* Blood. *decad. 2. lib. 10.* Philipp. Bergomanſ. *in Supplem. ad Chron. ann. 1400.*

(*b*) *Dic. cap. 2. n. 9.*

...tized by Google

Sublato quippè Jubilæo anni 1400., Nicolaus V. juxta temporis calculum nec anni quinquageſimi, nec anni trigeſimi tertii Jubilæum poterat anno 1450. celebrare.

6. Martinum V. Jubilæi reductionem ab Ubano VI. factam approbaſſe, & anno ab illâ trigeſimo tertio recurrente obſervandam cenſuiſſe Paulus II. & Nicolaus V. atteſtantur. (c) Imò eam ad effectum duxiſſe & ipſemet Paulus II., & plures Scriptores referunt, etſi non ita frequens, & concors memoria de eo, ſicut de aliis hujuſmodi ſolemnitatibus occurrat. Ea propter rejecta Ciacconii, & Bzovii opinione, qui hoc Martinianum Jubilæum anno 1425. aſſigunt, (d) cum Panvino, & pluribus Recentioribus (e) illud peractum fuiſſe, puto, anno 1423., in quem annus trigeſimus tertius à poſtremo triginta trium annorum Jubilæo inciderat.

7. Rursùs Nicolaus V. confirmatâ Clementis VI. Conſtitutione Jubilæum ad quinquageſimum annum reſtituit, ac proindè anno 1450. ſolemni ritu, atque maximâ, & inauditâ confluentium populorum copiâ illius ſacrum celebravit. Eum etiam anno ſubſequente, inſtante Philippo Burgundiæ Duce, aliud Jubilæum annum ſub abſoluti Jubilæi formâ Melchlinenſi oppido contuliſſe Magni Belg. Chronicon commemorat. Atque hìc obſervat, & ſubdit Vanelpen: (f) *Ex his diſcimus, quod Nicolai tempore … Jubilæi Indulgentia necdum ad omnes Civitates, Oppida, & Pagos extenderetur ſequenti anno, ſed duntaxat ad unam Regni, aut Provinciæ Civitatem, & quidem ad preces Regias, ac de ſingulari gratia.* At facilè quiſque noſcet quàm ſubdolè id notet Vaneſpen, cùm viderit tùm alios, (g) tùm ipſum Magni Belg. Chronic. Auctorem teſtari, Nicolaum V. & Regis precibus, & propriâ motum benignitate univerſam ferè Germaniam, aliaſque plures Europæ Provincias ejuſdem Jubilæi participatione donaſſe.

8. Creſcente in dies hominum malitiâ, ut labenti naturæ frequentiori remedio ſuccurreret, Paulus II. anno 1470. Jubilæum ad

---

(c) In Liter. quibus Jubilæum indixere.
(d) Ciacc. *in Mart. V.* & Bzov. *in Annal. Eccleſ.*
(e) Relatinà P. Theod. ab Spir. S. *ubi ſup. n.* 11. ubi eidem adhære opinioni.
(f) *Dic. cap. 4. num.* 17.
(g) Nempè Matt. Cromer. *in Hiſt. Polon. lib.* 22. Matth. Miclovienſ. *rer. Polonic. lib.* 2. & ſepè laudat. P. Theod. *d. cap.* 2. *à n.* 17.

ad annum vigeſimum quintum tranſtulit, illudque edixit celebrandum anno 1475. (*h*) Paulo à ſeculo migrante, Sixtus IV. ejus Conſtitutionem ratam habuit, (*i*) & præfinito anno 1475. Jubilæi pompam præſtitit. Primus inter Romanos Pontifices habetur, qui morem deinde obſervatum ſuſpendendi alias Indulgentias plenarias, facultates, & Indulta Jubilæi univerſalis obtutu invexerit. (*j*) Ejus veſtigiis prorsùs inhærens Alexander VI. Jubilæi celebrationem perfecit anno 1500. Ritum aperiendi Portam, quàm jure Sanctam dicimus, inſtituit, primuſque tùnc re ipsâ præſtitit, ut poſt Alfanum probat Scriptorum conſenſus. (*k*)

9. Juxtà hanc noviſſimam Eccleſiæ diſciplinam reliquos Romanos Pontifices ſingulis quibuſque viginti quinque annis Jubilæi Anni Sancti ſolemnia inalterabiliter perſolviſſe compertiſſimum eſt. (*l*) Ea itaque exhibuit Clemens VII. anno 1525. Julius III. anno 1550. Gregorius XIII. anno 1575. Et hic (ſi Zerulæ fidem adhibeas) (*m*) Jubilæum ad decimum quintum annum reſtringere cogitavit. Clemens VIII. anno 1600., Urbanus VIII. anno 1625., Innocentius X. anno 1650., Clemens X. anno 1675, Innocentius XII. anno 1700., Benedictus XIII. anno 1725., & tandem N. SS. D. Benedictus XIV. illud mirâ pietate, & religione celebrat hoc ipſo anno 1750. Operibus ab aliis Pontificibus injunctis pro Jubilæo promerendo, Sanctam Euchariſtiæ perceptionem jure meritò ſuperaddendam cenſuit. (*n*) Nihil tamèn in reliquis innovavit.

10. Indicavi igitur majori, qua potui, brevitate Jubilæi ordinarii progreſſum, & hiſtoriam. Si autem hanc, & ſimùl numerum, ac qualitates Peregrinorum, qui ſingulis prædictis annis Romam perrexerunt, latè, & eruditè deſcriptas videre cupis, hæc omnia poſt alios accuratiſſimè recenſet ſæpe laudatus P. Theorus à Spiritu Sancto in ſuo noviſſimo Tractatu Hiſtorico-Theologico *de Jubilæo*, ad quem te amando.

CA-

(*h*) Ut colligitur ex ſuis Literis, quarum initium eſt: *Ineffabilis*.
(*i*) Conſtat id ex Extrav. *Quemadmodum*, *de Pænit.*
(*j*) Vid. P. Theod. *ubi sup. n.* 20.
(*k*) Vid. Pet. Rodot. *ubi sup.*
(*l*) Ex his, quæ tradit P. Theod. ab Spir. S. *d. cap.*
(*m*) D. cit. lib. *de Jubil. cap.* 3.
(*n*) In Conſt. *Peregrinantes*. Vid. Adnotationes ejuſdem SS. P. ad hanc, & alias Conſtitut. §. 2.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Quarè Annus Jubilæus fuerit in Eccleſia inſtitutus.

1. Piam, & rationabilem cauſam ad cujuſque Indulgentiæ conceſſionem requiri & Doctorum conſenſus, (o) & ratio evidentiſſima ſuadet. Licèt enim Eccleſiæ theſaurus Summi Pontificis diſpoſitioni ſit concreditus, & in eum, ſicut in res omnes ſpirituales, & Eccleſiaſticas poteſtatis plenitudine polleat, tamen eùm hanc non habeat ut Dominus, ſed ut Adminiſter, ac Domini principalis Diſpenſator, æquum eſt, ut Indulgentiarum theſaurum non eroget, niſi cùm Dominum ad id conſenſurum ſimillimum veri cenſeat; ut ſic ampliſſima illa poteſtas ratione, & pietate reſtringatur.

2. Ad Annum Sanctum inſtituendum, & pleniſſimâ indulgentiâ ditandum, ſex præcipuæ cauſæ, & rationes Romanos Pontifices moverunt.

3. Prima eſt novæ legis eum veteri analogia. (p) Haud incongruum enim viſum eſt, quod, ſicut Hebræi annum certum, & à Deo deputatum habebant ad debita temporalia remittenda, ita Chriſtiani ſtato, ac determinato anno potirentur ad ſpirituales remiſſiones conſequendas. Quemadmodum nànque ſucceſſit Moſi Chriſtus, Evangelium legi, Eccleſia Synagogæ, Sacrificiis Sacramenta, Prophetis Apoſtoli, & Sabbatho Dominica, ſic fuit conſentaneum, & maximè conveniens, ut veteri Moſaico Jubilæo novum Eccleſiaſticum ſubſtitueretur.

4. Secunda cauſa fuit, ut ſublevaretur humanæ naturæ infirmitas,

(o) Vide Gloſ. *in Extrav.* Antiquorum, *de Pænit. & remiſſ. v. confitebuntur*. Turrecrem. *ad d.§. Item in Levitico* Doctor. Navarr. *de Indulg. notab.* 15. Bellarm. *lib.* 1. *de Indulg.* Zerula *lib.* 1. *de Indulg. cap.* 13. & 14. Benzon. *de Anno Jubil. lib.* 2. *cap.* 30.

(p) Hanc rationem primus expreſſit Clemens VI. *in Extrav.* Unigenitus, *de Pænit. & remiſſ.* ideòque aliqui putant primum etiam fuiſſe, qui noſtram Anni Sancti Indulgentiam *Jubilæi* nomine diſtinxit.

mitas, (*q*) quæ crebrò onere peccatorum depreſſa, & pœnarum acervitate perterrita ita ſuccumbit, & languet, ut vix in hac brevi vita miſer homo ſatisfacere poſſit. His igitur peccatorum pondere pergravatis cupiens pia Mater Eccleſia manus adjutrices extendere, ad faciliorem pœnarum ſolutionem immenſum Indulgentiæ theſaurum ſtatis quibuſdam temporibus diſpenſare conſtituit.

5 Tertia; ut tepidi Fideles ad pia, & pœnalia ſatisfactionis opera obeunda faciliùs inſlammentur, utque ſacri Jubilæi ſtimulo puncti citiùs ad gratiam recipiendam diſponantur. (*r*) Sunt enim plurimi, etſi potentes ſatisfacere, ita à virtutis tramite devii, adeò Mundi illecebris ineſcati, & vitiis involuti, ut res magna, & formidabilis ipſis videatur opera pœnitentiæ, & ſatisfactionis peragere. Hi, dùm certo quodam tempore abundantiùs, & benigniùs Eccleſiæ theſaurum aperiri noſcunt, ad aliquid boni faciendum incitantur. Pueris perſimiles videntur, qui niſi blanditiis, & præmiis alliciantur, nec remedia acceptant, nec à ludibriis deſiſtunt. Idcircò Romanæ Eccleſiæ Præpoſiti, qui omnia, quæ ad pœnitentiam, & ſalutem homines inducere queunt, tentare debent, hoc ingenioſum Jubilæi incitamentum Fidelibus proponunt, ut ab accidiæ ſomno expergefacti ad virtutem invitentur, & ad pœnitentiam commoneantur. *Benè itaque, ac ſapienter ..... Romani Pontifices* (ut hæc etiam N. SS. D. teſtimonio (*ſ*) comprobentur) *certa quadam tempora in ſeculorum evolutione delegerant, quibus univerſos per Orbem terrarum Chriſti fideles de ingruente Mundi fine commonefactos majori ſtudio excitarent ad redimenda peccata, ad ſalvandas animas.*

6. Quarta; Pro Beatorum Petri, & Pauli (*cum Clemente VI. loquor*) (*t*) memoriâ crebriùs recolendâ, *& reverentiâ à cunctis*

(*q*) Hæc ratio congruentiſſima eſt, quam attigit Gregorius XIII. *in ſua Bulla indictionis Jubilæi* à Navarro tranſcripta, & explicata in Comm. *de Jubil. & Indulg.* in illis verbis: *Ut adjuti Fideles ad ſatisfaciendum, ad percipiendos gratiæ cœleſtis fructus expeditiores reddantur*. Eam etiam indicarunt Sixtus IV. *in Extrav.* Quemadmodum, *de Pœnit. & remiſſ.*, & Alexand. VI. in ſua Conſtit. incipiente. *Inter curas multiplices*.

(*r*) Huc reſpiciunt illa ſupradictæ Clementis VI. Extravagantis verba: *Pro devotione Fidelium excitanda, & remuneranda*.

(*ſ*) In Conſtit. *Peregrinantes*, Romæ edita proximo anno 1749. III. Nonas Maji.

(*t*) In ſæpè dicta Extrav. *Unigenitus*. Conſonant ea, quæ proferunt Bonifacius VIII. in d. Extrav. *Antiquorum*, & Alexander VI. in ſua Conſtit. *sup.* laudata.

tis Fidelibus *eis devotiùs adhibendâ*; pro ipſorum *patrocinio favorabiliùs aſſequendo*, fuit hujuſmodi Indulgentia ſalubriter, & ſanctiſſimè inſtituta. Petri, inquam, & Pauli, per quos Evangelium Chriſti tibi, Roma, reſplenduit, qui Chriſtiani Populi per Evangelium facti ſunt Genitores, Gregis Dominici Paſtores, Fidei lucernæ, columnæ Eccleſiæ, & tanquam duo luminaria magna in firmamento lucentia legem tuam nos, Domine, docuerunt: Quorum uni, ſicut bono Diſpenſatori, claves Regni cœleſtis commiſiſti; alteri, tanquàm idoneo Doctori, Magiſterium Eccleſiaſticæ eruditionis injunxiſti.

7. Quinta, Ut Apoſtolicæ Sedis dignitas, & ſuprema Romani Pontificis auctoritas agnoſcatur, atque in debita veneratione conſervetur. „ Ex eo enim, quod Chriſtiani univerſi (*ut ait Clemens VIII*) (*u*) „ ad Petri Sedem, & ad Fidei Petram tanquàm „ filii ad Patrem, & oves ad Paſtorem Summum ſimul confluunt, „ tanto magis unius ovilis, & unius Paſtoris unitas apparet, & „ unius Fidei ſplendor latiùs eluceſcit. „ Quod ſi omnes Hebræi ter quotannis ad ſtatas ſolemnitates celebrandas ad Domini Templum devoti accurrere debebant, (*x*) cûr non æquum erit omnes quoquè Chriſtianos ad Metropolim Romanam accedere ſacri Jubilæi ſolemnia in Pontificiæ poteſtatis teſtimonium celebrantem?

8. Sexta; Ut hujus articuli fides, & myſteria penitùs in hominum memoria defigantur. (*y*) Ut etiam, atque etiam tenaciter retineatur, magiſque per Orbem evulgetur Petrum, & Paulum Romæ fuiſſe, Romæ prædicaſſe, Romæ mortuos eſſe, Romæ ſepulcra, & monumenta eorum aſſervari. Romanum Pontificem legitimum Petri Succeſſorem, atque Catholicæ Eccleſiæ Caput eſſe, ſummâque pollere ligandi, atque ſolvendi poteſtate.

9. Præter has cauſas, quàm plures alias cumulare poſſem, quibus nonnulli Pontifices moti etiam videntur ad ſacrum Jubilæi annum inſtituendum. Nonnè SS. D. N. Benedictus XIV. Jubilæum ob

(*u*) In Conſtit. *de Jubil.* quæ incipit *Annus Domini*, & tranſcribitur, explicaturque à Zerula, *in ejus comm. de Jubil. lib.* 3.

(*x*) Juxtà ea, quæ leguntur *Num. cap.* 28. & 29. Vid. D. Thom. 1. 2. q. 103. *art.* 4. D. Antonin. 1. *p. tit.* 14. *cap.* 4. §. 4.

(*y*) Hanc reddunt rationem Bonifacius VIII., & Gregorius XIII. *ubi ſuper.*

ob id etiam indixit, ut fideles Romæ conſpicerent in fidei gloriam, „ & Religionis reverentiam ſeculi culmen inclinatum, „ ipſamque terrenam quondam Babylonem in novæ, ac cœleſtis „ Civitatis ſpeciem converſam. . . . Superſtitionis hic olim regnantis memoriâ oblivione ſepultâ, ſincerum veri Dei cultum, ſacrorumque rituum majeſtatem ubique ſplendere: Mendacium „ Numinum everſa delubra, ſummi Dei templa caſta Religione „ conſecrata, impios theatrorum ludos, & veſana Circenſium ſpectacula ex hominum mentibus obliterata, frequentata Martyrum „ cœmeteria: Dejecta Tyrannorum monumenta, Apoſtolorum „ ſepulcra Imperatoris manibus ædificata; pretioſa quæque Romanæ ſuperbiæ ornamenta ad ſacrarum Baſilicarum cultum „ translata, & quæ olim, ſubactis Provinciis, oblata Diis Gentium „ fuerant celſiora donaria, nunc ab impurâ ſuperſtitione expiata, „ invictæ Crucis trophæum juſtiùs, & feliciùs ſuſtinere? „ (z) Porrò ex hujus glorioſæ metamorphoſeos oculari obſervatione honor Eccleſiæ deprehenditur, amor erga communem Patrem augeſcit, Pontificum pietatem demiramur, Fides funditùs radicatur, zelus religionis accenditur, & omnes Chriſticolæ juſto, ſanctoque gaudio perfuſi, ac hujuſmodi exemplis inflammati, ad ſua pectora Dæmoni, Mundique Idòlis inſervientia, in Spiritus S. tabernacula immutanda concitantur.

10. Haud minùs laſcivientis ſeculi corruptelæ, quæ in dies irrepunt, & augeſcunt, ad Jubilæum edicendum Romanos Pontifices impellunt. Mores profecto reformaturi in pollutorum temporum expiationem, decurrentibus annorum ſpatiis, *Annum renovationis* inſtituunt. (&)

11. Nec deſunt ſummi nominis Scriptores, qui affirmare non dubitent Bonifacium VIII. ſanxiſſe Jubilæum centeſimo quoque anno recurrente celebrandum, ut populum cùm primis Romanum ab inanium ſecularium ludorum celebritate ad verum ſolemne ſacrum traduceret. (a) Quæ quidem opinio, quanvis ita præ-

(z) Aurea, & erudita contrapoſitio N. SS. D. Benedicti XIV. in ſua Conſtit. *Peregrinantes*, ſuperius laudata.

(&) Ut teſtantur ferè omnes Summi Pontifices, qui Jubilæum indixère, *in ſuis Conſtitut.*

(a) Polid. Virg. *de rer. Inventor. lib.* 8. Platina *in Clem. VI.* Guicciardin. *Hiſt. l.* 4. Corn. à Lap. *in cap.* 25. *Levit.* Turretin. *de lud. ſecular. Academ. qq. q.* 6.

præciſè propoſita prorsùs coarguatur, (*b*) eò quòd ludi ſeculares multis ſeculis ante Bonifacium VIII. in deſuetudinem abierant; (*c*) tamèn veriſimillima mi videtur ſi ſolùm dicas, Jubilæum centeſimum inſtitutum fuiſſe in talium ſpectaculorum odium, & oppoſitionem, ne homines ad illa ullo unquam tempore animum, ac deſideria converterent. Etenim cum nos à ſeculis Bonifacio VIII. anterioribus Jubilæum repetamus, ſupra indicata Criticorum ratio nihil poteſt nobis officere.

12. Sanè conſtat, ſemper Summos Pontifices jugiter ſtuduiſſe; Gentilium monumenta à ſuperſtitione priùs expiata in Eccleſiarum uſum, & ornatum transferre, imò & ſacros eorum dies in pias ſolemnitates convertere, quo idolatra populus faciliùs ad veri Dei cultum adduceretur, utque veſana Gentilitatis ſuperſtitio ab hominum memoriâ, & cordibus excideret. „ Perſpectam „ habent eruditi (*liceat crebrò tanti Magiſtri* (*d*) *verbis uti*) „ ſententiam Petri Angeli Bargæi in celebri Epiſtolâ de priva„ torum, publicorumque ædificiorum Urbis Romæ everſori„ bus; qua probare contendit magnifica theatrorum, therma„ rum, templorumque ædificia, ac innumera Idolorum ſimu„ lacra non jam à Gothis, Vandalis, aliiſque efferatis genti„ bus fuiſſe disjecta; ſed à Romanis Pontificibus, ipſoque cum „ primis S. Gregorio Magno, aliiſque fidelibus fuiſſe proſtra„ ta, ut omnem planè idolatrici cultus memoriam, ac ſuperſti„ tionis irritamentum è medio tollerent. Nec defuit, qui no„ ſtra ætate operoſum tractatum confecerit de profanis, ac ſu„ perſtitioſis Ethnicorum reliquiis in commodum, & ornamen„ tum Eccleſiarum translatis. „ (*e*)

13. Plures quoque ritus, & feſtivitates ad ſacros Gentilium dies, rituumque deliramenta abolenda, ab Eccleſia inſtitutos comperimus. Porrò multi immortalis famæ Viri Calendarum Ja-

C nua-

(*b*) Ab erudito Petro Rodota, *in præland. ſuo noviſſ. Comm. pag. 5.*
(*c*) Etenim ſeculo XIII. nullum ſe nobis offert veſtigium ludorum ſecularium, quos poſt Honorium obſoleviſſe, tradit Panvin. *tract. de lud. Secul.*, qui extat cum Gravio, *antiquit. Rom. vol. 9. p.* 1061.
(*d*) N. SS. D. Bened. XIV. in ſua eruditiſſima Epiſt. Encycl. *ad omn. Patriarch. Archiep. & Epiſc. de preparat. ad Ann. Univerſ. Jubil. num. 9.* Eam reperies apud P. Theod. à Spir. S. *in tract. Hiſtorico Theol. de Jubil. in Append.*
(*e*) Hic fortaſsè eſt Joann. Marangon. *in erud. tract.* quem idiom. Ital. Romæ edidit anno 1744.

nuarii ſuperſtitiones, & ineptias in Circunciſionis ſolemnitatem; (*f*) Lupercalium luſtrationum debacchationes in feſtum Purificationis B. Mariæ Virginis (*g*) commutatas fuiſſe teſtantur. Compertiſſimum eſt etiam morem exponendi SS. Euchariſtiæ Sacramentum per quadraginta horarum ſpatium, in luxurientis Carnis privii extirpationem inſtitutum fuiſſe. (*h*)

14. Quæ cum ita ſint, quid cunctamur aſſerere, centenariam quoquè Jubilæi celebritatem conſtitutam eſſe ab Eccleſia, ut ab inani ſecularium ludorum inſania fideles vehementiùs, certiùſque averteret, utque, illam in hujus locum ſubſtituens, tanti abuſûs memoriam aboleret?

15. O ſacrum, & laudabile Pontificum inſtitutum! O pia Chriſtiani populi celebritas in veſanæ, & ſuperſtitioſæ ſolemnitatis locum non ſine auſpicato Numine ſubrogata! O Jubilæum tot de cauſis, tot titulis, tot rationibus commendabile, quot profana veterum Romanorum celebritas, impia, ſacrilega, & execranda! Utinam, faxit Deus, ut, ſicut olim Romanos ab illa arcuit, & avulſit, omnes Chriſtifideles à noſtrorum temporum ſpectaculis abducat.

CAPUT VII.

Jubilæum anni Sancti eſt Chriſtianæ Reipublicæ utiliſſimum non modo ad ſpiritualem, verùm etiam ad temporalem felicitatem aſſequendam.

1. SI mihi eſſet in votis Tractatum integrum *de Jubilæo* conficere, recta ſcribendi methodus poſtulabat, ut hic aliqua de Indulgentiis, & conditionibus ad Jubilæum obtinendum neceſſariis annecterem. At cùm hæc à noſtro inſtituto aliena ſint, & va-

(*f*) Baron. *de Ann. Jubil.* l. 4. c. 12., & ex Concil. Turon. c. 17. Tamajus à Salaz. in Martyrol. *Hiſp. ad diem* 1. *Jann. p.* 27., & *ibid. p.* 10. plura videre potes de veteri harum Calendar. feſto.

(*g*) V. Beda, *de Temp. rat.* Durand. *Ration. Divin. lib.* 7. Enerius, in Mar. Auguſt. *lib.* 6. c. 7. P. Cajet. Merat. *ad Gavant. tom.* 1. *p.* 2. *pag.* 1163. *in* 2. *edit.* Marangon. *ubi nup.* c. 16. De ſacris Lupercal., & Luſtration. vid. Alex. ab Alex. & Tiraq. *Genial. dier.* l. 4. c. 12.

(*h*) Herrera, *de Off. Div. lib.* 2. c. 25. D. Joan. Elias Gomez. de Terán. Epiſc. Oriholeuſ. *de la aſſiſtencia de los fieles à los Divinos Oficios*, *tom.* 6. *p.* 235.

& vaſtiſſimam hanc Provinciam poſt innumeros alios præſtantiſſimi Doctores totam noviſſimè præoccupaverint: (*s*) operæ pretium erit hunc articulum prætermittere, ut ad propoſitam nobis metam celeriùs contendamus.

2. Indulgentias, ac proindè Jubilæa omnium hominum generi eſſe utilia jam Eccleſia contra Lutherum, alioſque Hæreticos definivit. (*ſ*) Spirituales autem fructus, quos Apoſtolorum limina in Anno Sancto debitè viſitantibus adducit, ſatis à Theologis commendantur, dùm miram Indulgentiæ plenariæ vim, & effectus exponunt. Nec quiſquam eſt, quem lateat, per Jubilæi adeptionem Dei amicitiam, & gratiam, ſpiritualem quietem, intimum gaudium, incolumitatemque à pœnis temporalibus, quibus erant obnoxii, Fidelibus obvenire.

3. Non ita nota, atque comperta habetur publica temporalis utilitas, quæ ex ordinarii Jubilæi celebratione Orbi Christiano provenit. Quin imò tantùm abeſt, ut noſtri ſeculi Politici, ii potiſſimùm, qui potiùs Ethnico, ac impii Machiavelli, quam Christiano ſpiritu ducuntur, univerſale Jubilæum, & injunctum Peregrinationis opus utilia agnoſcant, ut potiùs perniciosiſſima eſſe opinentur, & ſuadeant. At quid mirum? ſi Chriſtianæ Politicæ regulas ſubvertentes, veri Dei cultum aſpernantes, ſanctoſque Eccleſiæ ritus damnabiliter irridentes, civilem, ac politicum ſtatum Religioni præferunt, & temporali, quâ ſæpiùs abutuntur, poteſtate Eccleſiaſticam, & Pontificiam atterere, ac reſtringere (ne penè exterminare dixerim) machinantur. Regni, & terreſtrium divitiarum conſervationem, vel etiam incrementum potiora Principi eſſe debere putant, quàm Religionis cauſam. Hinc impudenter ajunt, Peregrinationes permittere eſſe liberam vagandi licentiam concedere, Provincias depopulari, opificia imminuere, pecuniaſque à Regnis extrahere. Ex quibus carneis Atheiſmi principiis carneam, atheamque illationem deducentes, nequaquam ad Jubilæum properandum eſſe concludunt.

4. O fallax, exitialiſque Politica, quæ ſine Religione conficta

(*s*) N. SS. D. Benedictus XIV. *in Epiſt. Encycl. ad omnes Præſul. de preparat. ad Ann. Sanct.* Et latiùs in Conſtitut. *Convocates*, & in hujus annotationib. *ad Urbis Pœnitentiar. directis*. P. Theod. à Spiritu S. in *ſæpèlaudato Tract.* Hiſtorico-Theol. *de Jubil.*

(*ſ*) In Conc. Trid. *Seſſ. 25. can. de Indulg.*

ta Fidelium pietatem improbat, comprimit, extinguit! O impii, ſceleſti Chriſtiani populi prævaricatores, qui tanquam Ethnici totam felicitatem in ſeculi gloria, vitæque voluptatibus conſtituitis! Si nec ob cauſam ita piam, & tempus ita breve exiguas pecuniæ ſummas extrahi, paucaſque gentes ditiores illicò rédituras abeſſe permittitis, cùr juſtum, vel injuſtum Bellum ita frequenter in longinquas Regiones geritis, geſtum approbatis, approbatumque fortaſſe ſuſtinetis? Nonne tùm homines abeunt? Imò Exercitus deperduntur. Nonne illùc immenſi aſportantur theſauri? Imò tunc publicum ærarium exhauritur. Quid ergo clarius veſtræ prævaricationis argumentum? At ne æquo plùs iraſcar, harum obtrectationum animadverſioni ſuperſedeamus. Neque enim Catholicum, piumque Virum decet in iis ampliùs immorari.

5. Ad rem itaque, à quâ tam juſta reprehenſio nos abduxit, redeuntes, neminem, qui Catholico nomine cenſeatur, negare poſſe arbitramur, ex anno Jubilæo maximas cùm ſpirituales, tùm etiam temporales utilitates univerſo Orbi Chriſtiano provenire.

6. Porrò hoc potiſſimùm tempore Religio promovetur, Pietas excitatur, Juſtitia inſtauratur, faciliùs Matrimonia ratificantur, excommunicati abſolvuntur, vota commutantur, (*k*) Hæretici convertuntur, (*l*) Apoſtatæ Religioſi, (*m*) improbique homines diù à Monaſteriis, & Patria profugi, ad ea abſoluti, emendatique redeunt, ſicque moribus in melius ordinatis Civium concordia, & unitas convaleſcit.

7. Dùm autem Religio viget, Reſpublica firmatur; dùm Juſtitia colitur, crimina, odia, ſeditioneſque extinguntur, dùm pietas vireſcit, pauperes ſublevantur, dùm Matrimonia legitimantur, populus nobilitatur, dùm profugi revertuntur, Regna roboran-

---

(*k*) Ut patet ex Conſtit. N. SS. D. quæ incipit *Convocatis*, ac ex Epiſt. Encycl. *ad Pœnitentiar. min.* cum ſubannexis animadverſionibus: In quibus facultates hoc anno à prædictis Urbis Pœnitentiariis exercendas N. SS. D. concedit, & mira perſpicuitate explicat.

(*l*) Ut Jubilæi hiſtorias perlegenti innoteſcet.

(*m*) Ut hoc anno, virtute Conſtitutionis *Paſtoris æterni vices*, emanata pridiè Idus Januarii, ejuſd. anni. Quâ Regulares Apoſtatæ ad ſuos Ordines cum pœnarum condonatione revocantur.

borantur; & denique dum Civium mores ad honeſtatem componuntur, Reſpublica ſecura permanet ab hominum incurſu. (*n*)

8. Hæc adauctæ virtutis ſpecimina utilitates, & fructus omnes afferentia feliciſſimum Reipublicæ ſtatum auſpicantur: Ego enim cum Polybio (*o*) „ cujuſvis Reipublicæ duo arbitror eſſe principia, propter quæ tam potentiam, quam ſtatum illius, aut „ optabilem, aut deteſtabilem fieri contingat. Hæc autem ſunt „ mores, ac leges. Optabilis, ac ſelectus Reipublicæ ſtatus eſt, „ quo & privata mortalium vita ſancta, & integra, & publici „ Civitatum mores placidi, ac juſti redduntur. Deteſtabilis verò, ac fugiendus, quo contrarium efficitur. „ Nam juxta Chryſoſtomum: (*p*) „ Stabilis, firmaque protectio Civitatum „ neutiquam conſiſtit in lapidibus, lignis, & mœnium ambitu, „ ſed in prudentia, & ſagacitate eas incolentium. „ Hac ratione perſuaſus Scipio (teſte Auguſtino) (*q*) dicere ſolebat: *Non cenſeo felicem Rempublicam ſtantibus mœnis, & ruentibus moribus.*

9. Quænam autem optimorum morum, imò & publicæ felicitatis fundamenta ſunt, niſi Religio, & Juſtitia? Ubi cœptum ab his declinari, & pro modulo minuitur felicitas Reipublicæ. *Juſtitia Civitates, ac reliqua omnia ſervat* (ajebat Plato:) (*r*) *Injuſtitia verò pervertit, atque corrumpit.* Vera autem Religio eſt primum, atque adeò arctiſſimum felicis Reipublicæ vinculum. (*ſ*) Quemadmodum enim extra controverſiam eſt, nullâ re magis, quam efficaci Religione, atque ejus unitate in unius corporis ſocietatem conciliari, continerique liberos homines; ſic omnibus perſpicuum eſt, nihil eos magis ſeparare, & contra ſe dividere, quam in Religione diſſidium, atque diſcordiam. Propterea Hiſpaniam noſtram feliciſſimam cenſet Illuſtriſſimus D. Jacobus Simancas Pacenſis Epiſcopus, (*t*) quia Regum Catholicorum ope, & pietate factum eſt, ut Religionis puritatem, & Juſtitiæ obſervantiam leges omnes, & decreta reſpiciant.

(*n*) Ariſt. *lib. 8. Polit. c. 1.*
(*o*) *Lib. 6.*
(*p*) *In 3. Iſaia.*
(*q*) *Lib. 1. de Civit. Dei.*
(*r*) *Lib. 8. de Republ.*
(*ſ*) Illuſtriſs. D. Jac. Simanc. *de Republ. l. 5. c. 8. & 9.*
(*t*) *Ibid. lib. 9. c. 5.*

10. Ex his, & aliis, quæ apud Chriſtianos, pioſque Politicos congeſta reperies, (*u*) Sole meridiano clariùs elucet, per annum Jubilæum, qui totus ad Religionem, & Juſtitiam inſtaurandam, atque ad mores componendos inſtituitur, ſummam Regnorum felicitatem obvenire, atque compleri. Quòd ſi eò deveniat Pſeudo-Chriſtianorum audacia, ut id oppugnare intendant, adversùs ſacrarum Peregrinationum probitatem, utilitatemque blaterantes; ut eorum obtrectationibus obſiſtas, ad ea recurre, quæ afferunt celeberrimi, & noviſſimi Scriptores, (*x*) quos inter chorum ducit, & auctoritatem præſtat SS. D. N. Benedictus XIV. (*y*) Ii enim ſacras Peregrinationes ab omnibus malè feriatorum hominum calumniis invicto robore vindicarunt.

CAPUT VIII.

Chriſtiani Principes debent; imò ipſorum intereſt Jubilæum Anni S. promovere.

1. HAud minùs, quàm Populis, Principibus ipſis pietatem, & Religionem excoli, & augeri expedire, nemo, qui SS. Patres, Philoſophos, aut Hiſtoricos evolverit, inficiabitur. Sanè ex Religionis cultu, ac conſervatione, ſicut Regnorum felicitas, ita dependet Principum auctoritas, quæ abſque Divini cultus, & Religionis fulcro corruet, & una cum populo peribit. Id perſpicuè teſtatur D. Cyrillus inquiens. (*z*) *Glorioſa in Deum pietas Regiis honoribus immobile fundamentum eſt: Impii Reges, miſeri, ac malè malè pereunt; contra verò pietatis cultores ſine labore vivere ſolent, & adverſariis prævalere. Lege Regum libros* (opportunè ad rem monet

(*u*) Id. Siman. *ubi prox. & l.* 1. *c.* 9. *&* 11., *& l.* 3. *c.* 8. Petr. Greg. *de Republ. l.* 10. *c.* 2. *& l.* 12. 13. *&* 23. Did. c. Saavedra, *Emblem.* 19. *uſque ad* 25.

(*x*) S. Car. Borrom. *in ſua Epiſt. Paſt.*, ad *Popul. Mediolan. pro Anno Sancto* 1575. relata *in Act. Eccleſ. Mediol.* Benzon. *de Anno Jubil. l.* 6. *ferè per tot.* Thom. Waldenſ. *tom.* 3. *tit.* 25. Bellarm. *de Cult. SS. l.* 3. *c.* 8. Gretſer. *in* 4. *libris de Peregrinat.* Theoph. Rayn. *tom.* 15. in Opere, cui titulus, *Heteroclita ſpiritualia à p.* 213. RR. & erudit ſſimus P. D. Joan. Chryſoſt. Trombelli, quo cum mihi neceſſitudo eſt, *de Cultu Sanctor. tomi* 1. *par.* 2. *diſſert.* 6. *à cap.* 52. *uſque ad* 57.

(*y*) In aureo Opere *de Servor. Dei Beatif. & Beator. Canoniz. lib.* 3. *cap.* 37. *n.* 15. & in ſæpè laudata Epiſt. Encycl. *de prep. ad Ann. S.*

(*z*) *Lib. de recta Fide.*

Google

monet Clemens Papa (&) *ut intelligas, quot Reges juſtè vixerunt, eos à Deo auctos fuiſſe.... quot verò Reges à Deo defecerunt, revellione ſua brevi tempore interiiſſe, juſto judicio Dei, & vita ejus privatos fuiſſe pro requie æternum ſupplicium conſecutos.*

2. Hac de causâ præcipua Principum cura debet eſſe puræ Religionis conſervatio, & Divini cultus incrementum. Perbellè ad rem Oſorius ad Reginam Angliæ ſcribens. *Deus eſt*, (inquit) *cujus numine, conſilio, voluntate Regna naſcuntur, augentur, atque retinentur; cujus mente, atque ratione gubernantur; cujus ope, & auxilio fulciuntur; cujus denique offenſione labuntur, & concidunt, atque delentur. Princeps igitur, qui velit munere ſuo perfungi, & ſibi commiſſum Imperium aptè moderari, eam primùm curam ſuſcipiat, opus eſt, ut Religionem purè, atque ſanctè colat, aſſiduiſque precibus opem à Deo imploret, & ſtatuat omnem Regni feliciter adminiſtrandi rationem Numinis placatione contineri.*

3. Huic ſolidiſſimæ veritati non modo Catholicos omnes, verùm etiam Ethnicos, eſtò de idolatrico cultu loquentes, favere comperies. Ariſtoteles exhibetur; quippè hæc ait: (*a*) *Curandum eſt Regi, atque etiam Tyranno* (ampliationem nota) *ut Deum, Religionemque ſemper egregiè colere videatur; nam minùs injuriam homines à talibus hominibus metuunt, cum Principem Religioſum eſſe, ac Deum vereri putant, minùſque inſidiantur ei, qui Deum auxiliarem habere videatur.*

4. Quàm bene veteres Chriſtiani Imperatores id intellexerint, & præſtiterint, non modo ex Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lectione, ſed etiam ex Codicibus Theodoſiano, & Juſtinianeo, qui omnium teruntur manibus, elucet. In iis quidem multi integri leguntur tituli, (*b*) in quibus Piiſſimi Principes non minùs Imperatorii, quàm Epiſcopalis muneris eſſe credentes, Fidem Catholicam, Deique cultum tueri, ac propagare, piis, & perpetuis Conſtitutionibus Hæreticos percutiunt, Deorum delubra vel obſerari, vel deſtrui jubent, templa donariis locupletant; Eccleſiaſticam immuni-

(&) *Lib. 1. de Conſtit. Apoſtol.*
(*a*) *Lib. 5. Polit. cap. 11.*
(*b*) In Cod. Theod. tit. *de Fide Cath.*; *de Hæret.*; *de Epiſc. Eccl. & Cler.*; *de Religione*; *& de his, qui ſup. Relig. cont.*; Et ad eos Jac. Gothofr. In Cod. Juſtin. tit. *de Sum. Trin.*; *de Sacroſ. Eccl., de Epiſc. & Cler., de Hæret. & Manich. &c.*

munitatem ſanciunt, & amplificant, Pontificiæ Poteſtati ſubmittuntur, & auxiliantur; Concilia, & ſacras functiones promovent; atque unam Catholicam Religionem ab omni contradictione liberam, ut firmiſſimum Imperii fundamentum, excoli, atque obſervari præcipiunt.

5. Ex innumeris Conſtitutionibus, in quibus laudatiſſimi Imperatores Religionis, & Divini cultûs curam, ac propagationem ſui muneris eſſe agnoverunt, hanc Theodoſii, & Valentiniani hûc transferre perplacet. „ Inter cæteras ſolicitudines, (*ajunt*) quas
„ amor publicus pervigili nobis cogitationi indixit, præcipuam
„ Imperatoriæ Majeſtatis curam eſſe perſpicimus veræ Religionis
„ indaginem, cujus ſi cultum tenere potueris, iter proſperitatis hu-
„ manæ aperimus inceptis. „ (*c*) Digna eſt quoque, quæ referatur hæc altera. „ Decere arbitramur noſtrum Imperium, ſubdi-
„ tos noſtros de Religione commonefacere; ita enim & pleniorem adquiri Dei... benignitatem poſſibile eſſe axiſtimamus,
„ ſi quando & nos pro viribus ipſi placere ſtuduerimus, &
„ noſtros ſubditos ad eam rem inſtituerimus. „ (*d*)

6. Splendidiora ſunt verba Conſtantini in iteratis ſuis ſanctionibus, & in ea potiſſimùm, in qua pietate accenſus hæc ſcribit:
„ In qualibet Civitate, in quolibet Oppido, Vico, Caſtello, Mu-
„ nicipio quicunque voto Chriſtianæ legis meritum eximiæ, ſin-
„ gulariſque virtutis omnibus intimaverit, ſecuritate perpetua
„ potiatur: Gaudere enim, & gloriari ex Fide ſemper volumus,
„ ſcientes magis Religionibus, quàm officiis, & labore corpo-
„ ris, vel ſudore noſtram Rempublicam contineri. „ (*e*)

7. Inter omnes autem hac in re (quod planè reticendum non eſt) præſtantiſſimus ſemper fuit Hiſpaniarum Regum zelus, & vigilantia. Demirantur ſecula Ferdinandi Catholici, Eliſabethæ, & ſucceſſorum fidem, qui potiùs Regna imminuere, vel etiam perdere, quàm Maurorum, aut Hæreticorum contagioſâ colluvie fœdari maluerunt. (*f*) Quot leges pro Religionis puritarita-

(*c*) L. *Novellar. Theod. tit.* 2.
(*d*) L. 3 *Cod. de Sum. Trinit.*
(*e*) L. 16. *de Episc. Eccl. & Cleric. in Theod.*
(*f*) Simanc. *de Republ. l.* 9. *c.* 5. Caml. Borrell. *de Regis Cathol. præſtant. cap.* 41. & 45. Saavedra, *Emblem.* 22.

ritate ſanxere! (*g*) Quâ frequentiâ Concilia congregari curarunt! *h*) Qua pietate S. Inquiſitionem exceperunt, & ſtabilierunt! Quâ conſtantiâ eam extendi, & extolli ſtuduere! Videtur quidem ſemper ad unum Catholiciſmi cognomentum promerendum aſpiraſſe, atque in unius Religionis puritate Regni felicitatem conſtituiſſe. (*i*)

8. Nunquàm verò majori ſtudio, & ſubditorum profectu Catholici Principes Religionem, & Dei cultum extollent, quàm Univerſale Jubilæum promoventes. Hoc etenim eſt ſaluberrima Eccleſiæ antidotus ad morum peſtilentiam medendam, & Fideles in Religione, & pietate confirmandos. Id ſanè teſtatius eſt, quàm ut oratione indigeat: Illud tamen in præcedenti Capite ſatis oſtendimus. Principes igitur, qui publicæ, & propriæ utilitati conſulentes, ſuum eſſe fatentur Religionis puritatem, & cultum procurare, atque ſummam Pontificis auctoritatem, & pia deſideria extollere, ac fovere, hæc maximè in Jubilæi gratiam ſe pro dignitate præſtituros agnoſcant. Ea, qua par eſt, erga communem Patrem charitate, & obſequio ejus dulciſſima hortamenta excipiant, nec in irritum ire patiantur.

9. Audiant, quàm teneré ipſos paterno, quo accenditur, amore alloquitur. (*j*) „ Chariſſimos quoque in Chriſto Filios Noſtros, „ Imperatorem electum, ac Reges, & Principes omnes Catholicos hortamur, & monemus in Domino, ut quò plura, & „ magis illuſtria beneficia ab eo, per quem Reges regnant, acceperunt, tantò ardentiùs, ut par eſt, ad Dei gloriam procurandam pio zelo excitentur. Præcipnè verò Venerabilium Fratrum Noſtrorum Epiſcoporum, & ſuperiorum Antiſtitum „ paſtoralem ſedulitatem, & vigilantiam adjuvent, & à ſuis Magiſtratibus, & Miniſtris adjuvari mandent, ut improborum „ li-

(*g*) In nova Hiſpaniæ Legum Collect. lib. tit. *de la Santa Fe Catholica, De los Hereges, y Reconcil.*

(*h*) Concilia ſub Hiſpaniarum Regum auſpiciis celebrata enarrant, & deſignant Noſter Ant. Auguſt. *in Epiſt. ad Hieron. de Blancas, de reb. Cæſaraug. & Dial.* 10. *ex lib. poſt.* & Loaiſa, *in præfat. Oper. Joan. Bapt. Perez. in Concilior. Hiſpan. Chronol.* Sed accuratiùs Card. de Aguirre, *in Collect. max. Concilior. Hiſp.*

(*i*) Quando Hiſpaniarum Regi, *Catholici, Chriſtianæque Fidei Defenſoris* titulus datus ſit, quantoque jure ei competat, oſtendit Cam. Borrell. *ubi nup. cap.* 42. & 44.

(*j*) Piiſſimus, ac SS. D. N. Benedict. XIV. in prædicta Conſtit. *Peregrinantes.*

„ licentia coerceatur, & bonorum ſtudia eorum Regiâ ope, & „ gratiâ foveantur. Maximè autem erga Peregrinos munificentiam, & liberalitatem exerceant, curentque, ut tutis incedant itineribus, & nulla hominum perditorum vexatione perturbentur, ſed Hoſpitalibus, Domibus, & publicis Hoſpitiis amanter excepti, & commeatu, rebuſque ad viam neceſſariis recreati, ſine ulla concuſſione, & injuria inſtitutum iter læti peragant, & cum gaudio in Patriam revertantur. His enim Hoſtiis Reges potiſſimùm, & Principes Deum ſibi placabilem reddent, ut diù in terris felices vivant, & demum in æterna tabernacula recipiantur ab illis ipſis pauperibus, erga quos miſericordiam exercuerint, in quibus Chriſtus paſcitur, & nutritur. „

10. Quis, quæſo, Catholicorum Principum communem Patrem, & ipſius Chriſti Vicarium in terris ita rogantem videat, quin ut verus Filius, tanquam præcipienti obtemperet? Ego ſanè adduci non poſſum, ut credam eorum aliquem inveniri poſſe adeò pietatis, & imperandi artis expertem, ut, tam pia, & juſta hortamina deſpiciens, Jubilæum totis viribus non ſuadeat, & promoveat.

CAPUT IX.

Multa, quæ Principes Catholici præſtare debent in Jubilæi, ac proinde in Peregrinorum gratiam, ut illud promoveant.

1. MOdum, quo id Principes explere poterunt, in relato Bullæ fragmento ipſemet Pontifex indicavit. Omnia ad Peregrinorum Romam hoc anno proficiſcentium favorem referuntur, ut, iis ad ſanctam peregrinationem, & Jubilæum facilius allectis, majore fidelium concurſu, pietate, & profectu anni Sancti ſolemnia perſolvantur.

2. Porrò Peregrini ſemper digni ſunt ſpeciali curâ, & privilegio lege Divinâ, & humanâ. „ Cùm enim (*ut ait Plato*) (*k*) amicis, „ cognatiſque careant, majorem & apud Deos, & apud homines „ merentur miſericordiam. Deus ſic illos nobis commendat: (*l*) Si

(*k*) *Lib. 5. de Legib.*
(*l*) *Levit. 19.*

Si habitaverit advena in terra veſtra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei, ſed ſit inter vos quaſi indigena, & diligetis eum, quaſi vos metipſos. In Exodo: (m) *Peregrino moleſtus non eris*: Et in Deuteronomio: (n) *Quia Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus Deorum, & Dominus Dominantium ... qui perſonam non accipit, nec munera. Facit judicium pupillo, & vidua, amat Peregrinum, & dat ei victum, atque veſtitum. Et vos ergo amate Peregrinos.* Unde & Ethnici Jovem *hoſpitalem* vocarunt, (o) & Pythagoras monuit: (p) Peregrinum Virum juſtum non Cive, ſed etiam cognato majoris faciendum eſſe. Et quidem (ut Simplicius ait) (q) ,, habitus quidam ,, eſt erga Peregrinos nobis à Deo hoſpitum Præſide inditus, at- ,, que inſertus: Oportet itaque iis quoque officium præſtare tùm ,, ob Præſidem eorum Deum, tùm ob humanitatis noſtræ amplifi- ,, cationem, quæ in genus hominum univerſum porrigi debet. ,,

3. His, & aliis monitis ab Auctoribus, & præſertim ab eruditiſſimo D. Joanne Solorzano (r) in Peregrinorum commendationem congeſtis, Juris civilis diſpoſitiones conſonant. (ſ) Ne autem ſingulas expendam, conſule D. Gabrielem de Velaſco, (t) qui Peregrinos inter miſerabiles perſonas connumerans, latè, & eruditè probat omnia, & ſingula privilegia his de Jure conceſſa, ad Peregrinos, & maximè Romipetas extendi.

4. Plura quoque privilegia de Jure Canonico Peregrinis competunt. Quanvis enim regulariter neque domum ſuam quiſque locare, (u) neque ad perfectionis opus, bonorumque erogationem cogatur invitus; (x) poſſunt tamen Cives ad Peregrinorum hoſpi-

(m) Cap. 23.
(n) Cap. 10. v. 17. & 18.
(o) Virg. 1. *Æneid.* Jupiter hoſpitibus nàm te dare jura loquuntur. *Sup. hunc verſ.* Servus, Pontan. & Cerda, Pet. Greg. *de Republ. l.* 28. *c.* 7.
(p) *Apud iſtum ibid.*
(q) *In Enchyrid. Epictet. cap.* 65.
(r) *De Indiar. Jure, lib.* 2. *cap.* 10. *à num.* 36.
(ſ) Lex, *Sunt munera, ff. de vacat. mun.* L. *Nutritoribus,* C. *Commun. de Succeſſ.* Authent. *Omnes Peregrini*, Cod. eod. Ad eam Angel. n. 2.
(t) *De privileg. paupet. & miſerab. perſonar. ad leg. unic. Cod. Quand. Imp. int. pupil. & vid. par.* 1. *q.* 15.
(u) L. 1. & 6. *ff. Naut. Caup. l.* 15. *ff. de precar.* D. Emm. Gonzal. *ad cap.* 1. *de Empt. & vend.*
(x) Tex. *in c. Praſens,* 4. 20. *q.* 3. C. *Non eſt,* 10. 15. *q.* 1. *cap.* 1. *de Decim. in* 6. Card. Thuſch. *lit.* E. *concl.* 107. Camil. Borrel. *in Sum. deciſ. tit.* 28. *de oblat. & piis eleemoſ.*

hoſpitalitatem excommunicatione compelli. (*y*) Quam quidem neceſſitatem Jus Civile ſolis Stabulariis, & Cauponibus imponit. (*z*)

5. Clericorum veſtitum, & ornatum, pœnaſque contra aliter incedentes Sacri Canones interdum præfiniunt. (&) Nihilominùs Clerici peregrinantes minimè illis arctantur. (*a*) Cumque comam, aut barbam nutrire ſit ipſis interdictum, (*b*) ob ſuſceptam peregrinationem legitimè excuſantur; ut Clericus ille ea ratione à Pontifice reprehenſus ingenioſam, & gratam excuſationem iis verſibus præſtitit.

Tutiùs ut peterem laici ſub imagine Romam,
Fas fuit, ut ſinerem luxuriare comam. (*c*)

6. Similiter tabernarum ingreſſus ipſis non licet: (*d*) at peregrinantibus urgente neceſſitate permittitur. (*e*) Et quamvis nemo cum excommunicatis converſari, aut ſociari poſſit: (*f*) Peregrinis neceſſaria ab illis emere, in eadem menſa cum ipſis veſci, ac in eodem lecto dormire licet, quin excommunicationem in talia facientes indictam incurrant. (*g*)

7. Præterea Peregrinis, ſicut Monachis, & Agricolis etiam tempore belli plena ſecuritas promittitur, (*h*) nec pro repreſaliis capi poſſunt. (*i*) Ipſi, eorumque Cauſæ de Eccleſiaſtico foro cen-

ſen-

(*y*) C. 1. §. *Hinc* 42. *diſt.* & Gloſſa *in d. c.* 2. *de empt. & vend. v.* Hoſpitales. Veluſc. *ubi sup. n.* 35.
(*z*) L. *unic. ff. Furt. adv. Naut. Caup.*
(&) C. 1. & *ſeqq.* 21. *q.* 4.
(*a*) C. Epiſcopi. *ead. c. & q.*
(*b*) *Cap.* Si quis. 4. & *cap.* Clericus. 5. *de vit. & honeſt. Cleric.* Conc. Tolet. 4. c. 41.
(*c*) Hi verſus referuntur à Gloſſa *d. cap.* 4. *v.* Relaxaverit.
(*d*) C. Clerici. 4. 44. *diſt.*
(*e*) Eod. can. ibi, *Niſi peregrinationis neceſſitate compulſi.*
(*f*) C. Cum excommunicato, 11. *q.* 3. *Cap.* Nuper, 29. §. In ſecunda, *de Sent. excomm.* Saye. *de Cenſ. l.* 2. *c.* 23. *n.* 13.
(*g*) C. Quoniam. §. Quicumque. 11. *q.* 3. *Cap.* Inter. §. Illud *de Sent. Exc.* Ant. Riccul. *in tract. de jure perſonar. extra Eccleſ. l.* 4. *c.* 53.
(*h*) *Cap. ult. de treg. & pac.* Concil. Rhem. ſub Eugen. III. *c.* 11. quod refert Baron. *ad ann.* 1148. & Gonzal. *ad d. c. ult.* Grot. *de jure belli, l.* 3. *c.* 11. Delbene, *de Immunit. tom.* 1. *c.* 2. *dub.* 7.
(*i*) Angel. *in l.* 1. *in Auth.* Omnes Peregrini. *C. Comm. de ſucceſſ.* Bartol. *tract. de Repreſ. q.* 4. à *n.* 14. Rebuff. *de privil. Scholaſtic. privil.* 152. *n.* 3.

Google

ſentur, (*j*) & ſummariè eſſe pertractandas plurimi exiſtimarunt. (*k*) Quin etiam, cùm Anno Sancto Religionis, Eccleſiæ, & Reipublicæ cauſa peregrinentur, ut antea monuimus, privilegia abſentibus Reipublicæ causâ ſtabilita, iis, qui ob Jubilæum iter arripiunt, communicanda videbantur. Et quidem, ſi litis cauſa Sedem Apoſtolicam adeuntibus jurium, bonorumque ſecuritas, ablatorumque reſtitutio conceditur, ex eo tantùm, quòd ad Papæ præſentiam ſe conferens debeat eſſe ſub ejus protectione ſecurus, (*l*) æquiſſimum eſt eâdem ſecuritate, ac defenſione gaudere, qui Jubilæi conſequendi gratia Romam proficiſcitur. Speciale demùm Peregrinorum privilegium eſt, quòd quindecim diebus Romæ Baſilicas viſitantes Jubilæum conſequuntur, cùm Romani triginta diebus id facere teneantur.

8. Cum itaque omnia jura Peregrinis ita faveant, atque ipſi ſub Eccleſiæ, & Imperatoris protectione ſint, (*m*) omnes Chriſtiani Principes, quorum eſt, & intereſt Jubilæum, ſacraſque peregrinationes promovere, illis debent proſpicere hoc potiſſimùm anno, quo moribus in univerſum emendatis, hominibuſque improbiſſimis reſipiſcentibus, non modo honor Religioni maximus accreſcit, ſed etiam in totius Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem virtutis, bonarumque artium ſtudium inſtauratur.

9. Primùm igitur piis Summi Pontificis deſideriis, & hortationibus obſequentes, altèque conſiderantes honorem Sacerdotii fundamentum eſſe potentiæ, (*n*) ſancta Præſulum vota pro ſacro Jubilæo, & miſeris peregrinis nuncupata ad effectum perduci ſatagant, eorum ſedulitatem, & vigilantiam adjuvantes, ne Romipetæ impiorum exprobratione, & injuria frigeſcant, & inquinentur, utque bonorum ſtudia eorum Regia ope, & præſidio foveantur.

10. Hanc

(*j*) *Ex cap. 26. de V. S. & c. 1. de empt. & vend.* Rebuff. *ibid. privil.* 229. *num.* 4. Tuſch. *lit. P. concl.* 273. *n.* 2.
(*k*) Novar. *in Praxi election. & variat. fori ſect.* 1. *q.* 22. *n.* 2. Rovit. *in Pragm.* 1. *de off. Bajul.* Cavall. *milleloq.* 697. *verſ.* 3. Nàm ut breviùs eorum expedirentur cauſæ, præcipuus fuit olim conſtitutus Judex, *Peregrinus Prætor* vocatus, *l.* 2. §. Poſt. *ff. de Orig. jur.* cui conſonat noſtra lex 32. *tit.* 2. *part.* 6.
(*l*) *Cap. unic. de Cleric. peregrin. cap.* Cùm cauſa, *de Off. Deleg.* C. Si quis Romipetas, 24. *q.* 5.
(*m*) *Cap. ult. de treg. & pac.* C. Rompetas, 23. *q.* 3. *Clem.* Romani, *de jure jur.*
(*n*) Tacit. *lib.* 3. *Hiſt.*

10. Hanc curam, piamque protectionem non modo Romani Pontifices, (o) verùm & Jura, & Concilia (p) Principibus commendarunt. Obvia cuique eſt Sanctæ Tridentinæ Synodi admonitio, quâ ſeculares Poteſtates de ritibus, & rebus Eccleſiaſticis protegendis animadvertit, inquiens: „ Proptereaque admonet Synodus Imperatorem, Reges, Reſpublicas, Principes.... ut, „ quo largiùs bonis temporalibus, atque in alios poteſtate ſunt „ ornati, eò ſanctiùs, quæ Eccleſiaſtici juris ſunt, tanquam Dei „ præcipua, ejuſque patrocinio tecta venerentur.... Quibus „ etiam ipſimet exemplo ad pietatem, Religionem, Eccleſiarum- „ que protectionem exiſtant, imitantes anteriores optimos, religioſiſſimoſque Principes, qui res Eccleſiæ ſua in primis auctoritate, ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicarunt: Adeoque eâ in re quiſque officium ſuum ſedulò præſtet, quo cultus Divinus devotè exerceri &c. „ (q) Quòd ſi hæc quocunque tempore adhibere debent, quanto magis in anno ad pietatem, & pœnitentiam deſtinato!

11. Deindè Principes ſedulam navent operam per Urbium Præfectos, imò &, ſi opus fuerit, peculiares Magiſtratus, & Miniſtros eligant, (r) ut in ſuis Ditionibus magna victualium copia coacerbetur, (ſ) quo Populi cùm proprii, tùm exteri abundantiæ fami excitati, libentiùs ad peregrinationem accingantur. Curam Magiſtratibus impoſitam, ut panis ex puro tritico, carnis ſana, vinum purum, & cibaria omnia innoxia, atque mundiſſima,

(o) Leo M. *Epiſt.* 75. *ad Auguſt.* S. Greg. M. *Epiſt.* 6. *l.* 7. *ad Mauric. Aug. &c.*
(p) Omnes ferè leges, C. *de ſacroſ. Eccl. Cap. Bon.* 4. 96. *Cap. Eccleſiæ d.* 97. Conc. Pariſ. anni 829. *lib.* 2. *c.* 2. Tauron. III. *c.* 41. Ybd. Van-eſp. *oper. tom.* 5. *tract. de Recurſ. ad Princ. cap.* 2.
(q) Conc. Trid. *Seſſ.* 25. *c.* 20.
(r) Jul. Cæſ. duos Prætores, & duos Ædiles, qui frumento præeſſent, à Cerere Cereales vocatos, conſtituit, *l.* 2. 6. Deinde . *ff. de Orig. jur.* Valentinianus Annonæ Præfectum creavit, *l.* 1. C. *de Off. Præf. Urb.* De hac Præfectura meminit Pet. Greg. *ſyntagm.* 3. *p. l.* 47. *c.* 32.
(ſ) Ariſt. 6. *Polit. c.* 8. Simon. *de Republ. l.* 8. *c.* 2. *&* 15. Latè Cam. Borrell. *de Magiſt. Ed. l. l.* 3. *c.* 14. N. Babad. Pont. *l.* 3. *c.* 3. *&* 4.

ma; (*t*) juſto pretio, (*u*) pondere, & menſura (*x*) vendantur, ipſos hoc anno iteratis Edictis pœnas à Jure inflictas exacerbantibus commoneant.

12. Similiter jubeant, & provideant, ut publici fontes reficiantur, & mundentur, lege inviolabili adjecta, ut ad quos homines potaturi accedere ſolent, animalia ducere non liceat. (*y*) Ut juxtà legum ſanctiones (*z*) aſpera, aut perfoſſa itinera complanentur; ut pontes diruti, ſeu vetuſtate collapſi, ad periculoſa flumina tranſmittenda erigantur; (*&*) utque omnia pro itinerum, & cauponatum ſecuritate ſtabilita, (*a*) hoc maximè tempore adimpleantur, ne Peregrini vix ſe committere non audeant, vel, ſi auſi fuerint, bonis, & interdùm vita eos privari contingat.

13. Perpetuam horum curam in bene conſtituta Republica Principes omnes ſuſcepere, & Magiſtratibus explendam commendarunt. Maximè autem his Principes, eorumque Miniſtri incumbere debent in Jubilæi anno, (*b*) in quo communi publico bono Peregrinorum favor, Religionis incrementum, ac totius Chriſtianitatis utilitas accedit. 14. At

(*t*) *L.* 2. §. Cura carnis, *ff. de Off. Praf. l.* 4. §. Mala, *ff. Famil. erciſ. l.* 1. §. Cuſſa, *ff. de Ædil. edic. l.* 2. *ff. de Nund.* Pœnas, quibus ſunt obnoxii, qui annonam corruptam vendunt, affert Farinac. *de falſit. q.* 150. *p.* 5. *à n.* 57.

(*u*) Juſta pretia victualibus præfigi debent, *d. l.* 1. §. Cura, & *ibi* Bart. *l. fin.* §. Item, *ff. ad leg. Jul. de Annon.* Covarr. *l.* 3. *var. c.* 14. Gut. *cer. prac. l.* 2. *q.* 181. Mexia, *de pane, concl.* 1. & 4. Et ea excedentes ſunt puniendi, *l.* Annonam, *ff. de extraord. crim.* Cam. Borell. *ubi sup. à n.* 102.

(*x*) Principes pondera, & menſuras præſinire debent, *l.* Modios, *C. de Suſcept.* Magiſtratus autem curare, ut juſta ſint, & res venales his æquatæ juſta libramine diſtribuantur, §. Nullus, *in Auth. de Collat.* Et falſis ponderibus, aut menſuris utentes valdè ſunt plectendi jux. *l.* Annonam, §. Oneratii, *ff. de extraord. crim. l.* Hodie, *ff. de falſ.* & *l.* 14. §. Si quis, *ff. Locati.* Circa hæc omnia vid. Borell. *ubi sup. c.* 25. Circa pœnas Vitalin. *de Malef. tit. de pun. falſant. ment.*

(*y*) Magiſtratibus cura fontium incumbit, ut ii aqua liquidiſſima ſcateant, *l. fin. ff. de riv. l.* 1. §. Permittitur, *ff. de aq. quotid.* & *aſt. l.* 2. & 7. *C. de aquæd.* Frut. *l.* 2. *de aquæd.* Ripa, *de Peſte, tit. de remed. ad præſerv. n.* 6. Siman. *de Rep. l.* 6. *c.* 16. Et aquas cumbeſtiis ſpurcans punitur, Menoch. *de arbitr. l.* 2. *cent.* 4. *caſ.* 385.

(*z*) *L.* 2. §. Eodem, *ff. de orig. jur. l.* Ædiles, *ff. de via publ.* & §. Conſtituant, *cum l. fin. cod.* Novell. 17. *ver.* Sed et. Simanc. *de Rep. l.* 8. *c.* 20. Petr. Greg. *ſynt. l.* 2. *c.* 2. Borell. *de Reg. Cath. praſ. c.* 7.

(*&*) Eâdem ratione, qua viis, pontes refici oportet; nam pontes viæ appellatione continentur, *l.* 2. §. Tractatum, *ff. Ne quid. in loc. publ. l. fin. ff. de flum.* Bald. *in l. fin. ff. de ſervit. ruſt.*

(*a*) Tot. tit. *ff. de via publ.* & *ff. Naut. caup.* Contra Caupones ere... ſunt inquiſitores aliquot, quales ſunt in Gallia, P. Greg. *ſynt. l.* 18. *p.* 2. *c.* ... *n.* 1.

(*b*) Rut. Benzon. *de Anno Jubil. lib.* 5. *c.* 9.

Digitized by Google

14. At verò Catholici Principes hìc ſiſtere non debent. Alia inſuper in Peregrinorum gratiam Anno Sancto vergente ipſos præſtare convenit. Quidni? Debent utique liberum tranſitum per ſuas Ditiones eis permittere, (*c*) quin pontagia, vel alia tributa pendere cogantur. (*d*) Salvum conductum, vel commeatum omnibus concedere, imò & literis eos commendare, (*e*) ne in peregrinatione vexentur, aut injuſtè detineantur. Illis quoque, de quorum paupertate conſtiterit, aut de proprio ærario ſuccurrere, aut ſaltèm liberam mendicandi facultatem indulgere; non enim vagamundis ſunt æquandi, & eiſdem, quibus iſti, legibus ſubjiciendi. (*f*)

15. Prætereà mandent non modo ut in Civitatibus, Cauponis, & Hoſpitiis, ſed etiam, ut, his deficientibus, in privatis domibus benignè tanquàm Milites recipiantur: (*g*) Turpe namque, & tyrannicum eſſet illis, qui ſub Chriſti, ex Eccleſiæ vexillis in commodum, & beneficium Reipublicæ Chriſtianæ tanto labore militant, hoſpitium omnibus debitum occludere. (*h*) Ipſos, eorumque bona ſive ſecum aſportata, ſive in propria domo relicta defendant, (*i*) nec illis injuriam inferentes, aut iſta uſurpantes impunes evadere patiantur. Eos, qui non animo aufugiendi judicium, ſed ſolùm Jubilæum comparandi, peregrinationem inſtituerint, & proſequantur, litibus interim civilibus moleſtari, detineri, eiſve præjudicium fieri non ſinant; (*j*) licet enim cauſa voluntariæ peregrinationis juriſdictionem non ſuſpendat; tamen ob Anni Sancti prærogativam æquum, & laudabile eſſet illos, qui pro tam ſancta peregrinatione per Summum Pontificem indicta; & per Principem promotâ res, & negotia ſua ſopita relinquere, vanis fortaſſe aliorum prætenſionibus non affligi, & perturbari, donec eam abſolverint.

16. Tan-

(*c*) Aliàs armis prætendi poſſet, ut Judam ſibi aperuiſſe aditum per Urbem Effren, legitur *Machab. c. 5.* D. Joan. Solorzan. *de Ind. jure, l. 2. c. 20.*
(*d*) Ex Concil. citat. à Beyerl. *in Theat. v.* Peregrinatio.
(*e*) Conc. Matiſc. II. *c. 11.*
(*f*) Notat Borrell. *de Magiſt. edict. l. 3. c. 16. in fin.*
(*g*) Nam ad Peregrinorum receptionem Cives poſſunt compelli, *c.* 1. §. Hinc, 42. *d.* Et max mè Eccleſiaſtici, N. D. Ant. Auguſt. *in Epit. l. 14. tit. 20. c. 7. & 9.*
(*h*) Benzon. *de Ann. Jubil. l. 6. c. 6.* Cened. *collect.* 118. Solorzan. *ubi sup. n.* 37.
(*i*) C. *Regum officium*, 23. q. 5.
(*j*) Benzon. *d. lib. 5. cap. 9. in fine.*

16. Tandem, ut ſingula ad unum referens caput, rem paucis conficiam, omnia impedimenta Jubilæi fini, ſacriſve peregrinationibus adverſantia, quibus Romipetæ detineri, lædi, vel à tam ſancto propoſito averti poſſunt, Principes de medio tollere tenentur. Eapropter noſtri temporis comœdias, larvas, opera theatralia, publicaſque choreas, plùs æquo aliis temporibus toleratas, Jubilæo durante, cum Benzonio (*k*) interdicendas judico. Atque hìc præcipuum noſtri Opuſculi argumentum attigimus, de quo favente Deo, ſtatim pro virili diſputabimus.

CAPUT X.

Summos Pontifices, & Principes, qui in Jubilæi, ac Peregrinorum gratiam ſupradicta præſtiterunt, memoramus, ut eorum exemplo alii quoquè ad eadem explenda excitentur.

1. SAnè Romanis Pontificibus Jubilæum Univerſale celebrantibus hæc perpetuò inſedit voluntas, ut Peregrini Religionis ſtudio Romam petentes, viarum ſuavitate allecti, hoſpitalitate, & victus abundantiâ recreati, beneficiis devincti, & virtutis exemplis commoti ſuas repetant domos in fide, pietate, & Apoſtolicæ Sedis obſequio confirmati.

2. Tam ardenter id præfati Pontifices exoptarunt, & præſtare ſtuduerunt, ut Peregrinis hoſpitia erexerint ampliſſima, ſummâ liberalitate ſubvenerint, eos viſitaverint, ipſorum pedes abluerint, cum illis ad menſam accubuerint, & de rebus omnibus ad vitam neceſſariis provideri curaverint.

3. Maxima ante alios pietatis chariſmata Peregrinis exhibuit Gregorius XIII. In horum gratiam Eccleſiaſticæ Ditionis vias adaptari, plurima hoſpitia in iſtis conſtrui, in Ædibus Pontificiis eoſdem recipi, egentes piis largitionibus ſublevari, Urbemque victualibus repleri juſſit. Pontem olim Senatorium, ac Palatinum, poſtea *Sanctæ Mariæ* nuncupatum in commodum viſitantium Baſilicas inſtauravit. Et ne Fideles ad vana diſtraherentur, Religioniſque ſtudium remitti contingeret, larvarum ludos, & publica ſpectacula in Carniſprivio fieri conſueta ſuppreſſit, pecu-

D nia-

(*k*) *Ibid.*

niarum ſummâ pro his aliàs impendendâ in Peregrinorum levamen erogatâ.

4. Hanc paternam charitatem imitatus eſt Clemens VIII., qui duabus Purpuratorum Patrum Congregationibus rerum ſpiritualium, & temporalium curâ pro Anno Sancto demandatâ, iiſdemque ludis, & ſpectaculis amotis, trecentum aureorum millia in Peregrinos erogavit.

5. Iiſdem fere eximiis charitatis exemplis Urbanum VIII. præluxiſſe legimus. Xenodochium SS. Trinitatis præſentia ſuâ illuſtravit, ære plurimo juvit, novâ ſupellectili auxit, Peregrinorum pedes abluit, menſamque ſacravit. Prætereà trecentos ſodales Florentinos parato in Ædibus Pontificiis convivio recreavit, ſuæque Dignitatis, penè dixerim, oblitus cum ipſis edere voluit.

6. Haud minora ſunt Religionis, & pietatis teſtimonia, quæ de Innocentio XI. recenſentur. Hoſpitiis nanque pro Clericis, & Italis, & Tranſalpinis, necnon aliis pro Peregrinis laicis rerum omnium apparatu diſpoſitis, latiſque legibus ad Urbis Eccleſiarum decorem, atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformationem, quadraginta quatuor Nobiliſſimas Mulieres, ad quærendas per Urbem eleemoſynas in Peregrinos impendendas, deputavit. Et præter earum ſummam undecim aureorum millia eidem SS. Trinitatis Hoſpitio contulit.

7. Clemens X. pro rebus ad Jubilæum ſpectantibus ordinandis particularem Congregationem inſtituit. Hæc inter alia juſſit, ut ad Secretariæ Status Miniſtros notanda mitterentur, quæ reſtaurationi, & ſecuritati viarum, Peregrinorumque beneficio conferrent: Ut ea poſtea Cardinalibus Legatis Provinciarum Præſidibus, aliorumque locorum Eccleſiaſticæ Ditionis Magiſtratibus exequenda, & obſervanda dirigerentur; utque nobiles, piique Viri præponerentur, qui omnem curam in viſitandis Hoſpitiis adhiberent, ac ſedulò caverent, ne impudicæ Mulierculæ, improbique homines Peregrinis cauponas, & popinas ingredientibus ſcandali occaſionem præberent. Præter hæc ipſe Piiſſimus Pontifex, quanvis ſenio, & podagræ doloribus gravatus, plures humanitatis actus erga Peregrinos obivit, & ſæpè laudato SS. Trinitatis Hoſpitio præter proprias, aliorumque eleemoſynas, ſex aureorum millia, quotquot ferè in Romani populi lætitiam Bacchanalium tempore exſumuntur, munificentiſſimè contulit; volens

lens inſuper Hebræos ad mille, & quingentos aureos eidem Confraternitati in Peregrinorum ſubſidium perſolvendos obligari.

8. Simillima his charitatis, & munificentiæ ſpecimina edita comperimus à Clemente XI., Benedicto XIII., aliiſque ſuperioris ævi Pontificibus Jubilæi celebritatem peragentibus. Noſter autem SS. D. & munificentiſſimus Benefactor non minus pietate, quàm ſapientia conſpicuus, omnium Prædeceſſorum exempla ſibi imitanda proponens, non modo ea, quæ de aliis retulimus, egit, verùm & alia plurima à nemine peracta, nec excogitata pro Anno Sancto, & Peregrinis ordinavit, ac feliciter in dies perficit. Ea, quæ uſque in præſentem lucem exhibuit, multa operoſa volumina expoſcunt, & implebunt. Quamobrem ne levi, obtuſoque calamo offendantur, quæ oratione comprehendi non poſſunt, circa ea tantùm cum Petro Rodota (*l*) proferam „ Incredibile dictu eſſe quot, & quanta SS. D. N. non tam verbo docuit, quam exemplo præſcripſit, ſive ad removenda ſcandala, ſive ad pietatem excitandam, ſive ad Eccleſiarum cultum priſtino ſplendori reſtituendum, ſive ad annonæ inopiam reparandam, ſive ad publicas vias aperiendas, dirigendas, explanandas, ut Peregrinis Romam confluentibus itinera commodiora, atque omnia tum ad pietatem opportuna, tum ad vitam neceſſaria paratiſſima redderentur. „

9. Innumera alia Summorum Pontificum pietatis exempla Jubilæi annis pro Peregrinorum incolumitate, & conſolatione edita Hiſtorici, præſertim Eccleſiaſtici collaudant. Qui omnia ordinatiſſima videre cupiat, adeat eruditum P. Theodorum à Spiritu Sancto, qui ea noviſſimè connectit, & appingit. (*m*)

10 Porrò tot Pontificiæ pietatis teſtimoniis Hæretici quàm plures excitati & Catholicam Fidem amplexi ſunt, & impiorum impoſturis, ac ſeductionibus occurrentes, miram Almæ Urbis charitatem ab illis vindicarunt. Ingenuè id præſtitit Chriſtophorus Ranzovius ad Georgium Calliſtum hæreticum ſic ſcribens. (*n*) „ Nam ubi tu ſuperſtitionibus, nugis, & novitatibus me offenſum iri exiſtimaſti, ibi inſperato, planèque admirando ſpectaculo univerſa Catholicæ Eccleſiæ facies antiquæ pietatis, ſanctita-

 tiſque

(*l*) In præ laud. Comm. *p. 17.*
(*m*) In tract. Hiſtorico Theolog. *de Jubil. c. 2. per tot.*
(*n*) In Epiſt. ad d. Georg. Calliſt. Romæ edita anno 1651.

,, tiſque plena oculis, animoque meo ſeſe aperuit in ipſo Jubilæi
;, Anno... Tùm verò perſpexi, quanta pietatis æmulatione Pere-
,, grini ad Urbem confluentes & publicis Eccleſiæ, & ſuæ quiſque
,, Nationis privatis Hoſpitiis excipiantur. Ad hæc quo ſtudio,
,, curâque faveantur ægroti, quod fidem propemodum excedit.,,
Excedit quidem; at vera ſunt omnia. Quod ſi aliqui, ut Hære-
ticus ille, audacter obloquentes ea in diſcrimen vertant, cum
S. Martino P. M. reſpondebo. ,, Vos, Domini mei, neſcitis Ec-
,, cleſiam Romanam: Dico enim vobis, quia quiſquis venit illùc
,, miſerabilis homo hoſpitari, omnia ad uſum præbentur ei, &
,, nullum immunem ſuis donis S. Petrus repellit venientem illùc;
,, ſed panis mundiſſimus, & vina diverſa dantur non ſolùm ei,
,, ſed hominibus ei pertinentibus. (o)

11. Eâdem pietate, & beneficentiâ hanc curam favendi Ro-
mipetis plures clariſſimos Principes expleviſſe comperio. At ne
infinitus in unaquaque re ſim, duos duntaxat commemorabo.
Primum ſtatim profero Pipinum, Francorum Regem, qui eos
ab hominum injuriis, & à vectigalibus pendendis per hæc verba
liberavit. ,, De Peregrinis humiliter conſtituimus, qui propter
,, Dominum ad Romam, vel alicubi vadunt, ut ipſi per nullam
,, occaſionem ad pontes, & ad excluſas, aut navigia detineantur
,, propter ſcripta ſua: Nullus Peregrino calumniam faciat,
,, nec ullum telonium ei tollat. ,, Quam Conſtitutionem in
Synodo in Palatio *Vernis* dicto celebrata ratam habuit. (p)

12. Carolus M. Imperator Peregrinos Anglos in gratiam Regis
Merciorum Offæ, ab omni vexatione, tributorumque penſione
exemit: (q) ,, De Peregrinis (conſtituiſſe fertur) ,, qui pro
,, amore Dei, & ſalute animarum ſuarum Beatorum Apoſtolo-
,, rum limina adire deſiderant, cum pace, ſine omni perturbatio-
,, ne vadant. ſed ſi aliqui non Religioni ſervientes, ſed lucrum
,, ſectantes inter eos inveniantur, locis opportunis ſtatuta ſol-
,, vant telonia,,.

13. Ut autem plures Principes prætermittam, qui hæc, & alia ſu-
pra præſcripta in Peregrinorum gratiam obſervarunt, ſilentio præ-
teri-

(o) S. Mart. in carcere, Imperatoris Miniſtris reſpondens, ut refert Baron. *ad annum 651.*
(p) Omnia hæc teſtatur Beyerl. in Theat. vitæ hum. v. *Peregrinatio*.
(q) In Epiſt. ad ipſum Offam, cujus fragmentum affert Beyerl. *ibid.*

terire non poſſum Noſtrorum Catholicorum Regum eximiam erga illos pietatem, & munificentiam; quippe variis perpetuis Conſtitutionibus non modò ipſis favent, ſed etiam ſingularia privilegia concedunt eo tantum moti, quod peregrinationis labores pro Domino ſubeant. (r) In novâ legum Hiſpaniæ Collectione integer extat titulus *de Romipetis, Peregrinis, & Pauperibus* inſcriptus. (ſ) In prima ejus lege Hoſpitii jus, & ſecuritatis privilegium eis conceditur; ipſi ab omni damno, & injuriâ defenduntur; pœnæque indicuntur in eos, qui ponderando, aut metiendo illis fraudem fecerint. Liceat ipſius legis verba tranſcribere, ut clarius Catholicorum Regum benignitas affulgeat. Hæc ſunt. „ *Todos los Romeros, y Peregrinos, que anduvieren en Romeria por nueſtros Reynos .... ſean ſeguros, y les damos, y otorgamos nueſtro privilegio de ſeguridad, paraque vayan, y vengan, y eſten ellos, y ſus compañias por todos nueſtros Reynos ſeguros, que les no ſera hecho mal, ni daño; y defendemos, que ninguno ſea oſado de les hazer fuerza, ni mal, ni otro daño; y ienda y viniendo â las dichas Romerias puedan ſeguramente albergar, y poſar en Meſsones, y lugares de albergueria, y Hoſpitales; y puedan libremente comprar las coſas, que huvieren meneſter, y ninguno ſea oſado de les mudar las medidas, ni peſos, derechos; y el que lo hiziere, que caiga en la pena de falſo.*

14. Aliæ ejuſdem tituli leges pro ipſorum bonis, & hæreditatibus curandis, & deferendis conditæ ſunt. In II. nanque Juſtiniani diſpoſitioni (t) conſonâ libera teſtandi facultas Peregrinis omnibus datur pœnis in impedientes indictis, & contrariâ damnatâ conſuetudine, quæ ex Athenienſium Republica in Romanam migraverat. (u) In V. bona Peregrinorum ab inteſtato morientium Judicibus ordinariis locorum commendantur, ut funeris expenſis ex illis ſolutis, reliqua cuſtodiant, donec Rex ab

 illis

(r) Hæc cauſa exprimitur in lege IV. novæ Recopilat. tit. *de los Romeros, Peregrinos, y Pobres* lib. 1. ibi: *Gozar deben de mayor privilegio aquellos, que trabajo toman por ſervicio de Dios; Y porende mandamos, que los Romeros, y Peregrinos &c.*
(ſ) *Tit.* 12. *lib.* 1.
(t) In Auth. *Omnes Peregrini*. Cod. *Comm. de ſucceſs.*
(u) Athenienſes, & exinde Romani, humanitatis immemores, teſtamenti factionem Peregrinis ademerant, eique hæreditatem applicabant, apud quem Peregrinus decedebat. Annæ. Robert. *rer. judicat. l.* 4. *c.* 11. Alvarez Velaſco, *de privileg. miſerab. perſonar. d. q.* 15.

illis edoctus, quod æquius duxerit, provideat. (*x*)

15. Prætereà in lege III. Judicibus ordinariis locorum ſub gravi pœna præcipitur, ut Peregrinis, qui de damnis in Cauponis, vel Hoſpitiis ſibi illatis conquerantur, ad ea omnia perſolvenda Caupones, aut Receptatores ſtatim adigant, & adſtringant. (*y*) In IV. à teloniorum exactione liberantur. Denique in X. & XI. veris Peregrinis inopibus facultas (cæteris denegata) (*z*) aſſeritur, ut in quolibet obvio Regnorum loco quærere poſſint eleemoſynas.

16. Tanta eſt Catholicorum Regum pietas, & munificentia erga Peregrinos ad Apoſtolorum Lipſana proficiſcentes. Ideò veteres Scriptores (*&*) Hiſpanorum eximiam in excipiendis, & juvandis hoſpitibus humanitatem meritò commendarunt. Ermirari vehementer ſubit Modernorum plures alias Nationes eâ ratione laudantes, noſtram in Religione, & charitate nulli alteri ſecundam prætermittere.

17. Expergiſcantur ergo Principes, & Magiſtratus omnes, quorum eſt, & intereſt & Religioni, & publicæ utilitati conſulere, ut ſancta Summorum Pontificum deſideria tot rationibus, ac exemplis innixa, & tam piis hortationibus propoſita exequantur. Hoc potiſſimum tempore, quo Jubilæum Univerſale peragitur, Romipetas tot juribus, & rationibus commendabiles amanter excipiant, foveant, & defendant. „ His enim Hoſtiis (ut cum
„ SS. D. N. concludam) Reges potiſſimùm, & Principes Deum
„ ſibi placabilem reddent, ut diu in terris felices vivant, & de-
„ mùm in æterna tabernacula recipiantur ab illis ipſis Pauperi-
„ bus, erga quos miſericordiam exercuerint, in quibus Chri-
„ ſtus paſcitur, & nutritur. „

PARS

(*x*) Hæc lex corrigit legem 31. *tit.* 1. *part.* 6., quæ d. Authenticæ, *Omnes*, conſonans, bona Peregrinorum ſine teſtamento decedentium Epiſcopo reſervabat diſtribuenda, Joan. Martinez de Olano, *in Concord. Juris Comm. & Hiſp. tit. P. n.* 25.

(*y*) Extat etiam lex. 6. *tit.* 12. *lib.* 7. ejuſdem novæ Collect. quæ Magiſtratibus jubet, ut Cauponibus pretia taxent pro recipiendis, & alendis hoſpitibus, & plùs exigentes inquirant, & puniant.

(*z*) Aliis Pauperibus Regnicolis ſolùm permittitur eleemoſynam petere in eorum naturæ, & domicilii territorio. *l.* 7. *&* 8. *ejuſd. tit.* 12.

(*&*) Diod. Sicul. *lib.* 6. *Biblioth. cap.* 3. Macrob. *Saturn. c.* 13. Bern. Adeeto, *lib. de antiq. Hiſpan. c.* 17. Joan. à Ponte, *de convem. utriuſq. Monarch. lib.* 3. *c.* 21. §. 3.

PARS SECUNDA.

De publicis Spectaculis, ludiſque Theatralibus pro Anno Sancto, & quocunque alio Jubilæi Univerſalis tempore interdicendis.

Ex omnibus his, quæ Jubilæo planè adverſantur, ejuſque fructum impediunt, quæque Summos Pontifices, omneſque Principes Catholicos de medio tollere debere oſtendimus, nulla certè majora impedimenta, quàm publica noſtri ſeculi ſpectacula. Idcircò SS. D. N. Benedictus XIV. feliciter Eccleſiam regens, aliorum Prædeceſſorum ſuorum exemplum ſecutus, ea Anno Sancto vertente in Ditione ſibi ſubjecta exhiberi, per ſuos à Latere Legatos Provinciarum Præſides vetuit. Ut autem hæc cordatiſſima prohibitio ab inanibus carnalium hominum oblocutionibus vindicetur, utque eam & futuri Pontifices, & Principes Chriſtiani in Jubilæi Univerſalis gratiam repetant, & obſervari faciant, rationes, quibus id fieri debeat, in ſubſequentibus Capitibus adducam.

CAPUT I.

Spectacula, de quibus in præſentiarum loquimur, deſignantur, & à primo ſuo origine deſcribuntur.

1. SUb *Spectaculi* nomine omnia, quæ ſpectanda proponuntur, Grammatici comprehendunt. Theologi verò, & Juriſconſulti *Spectaculi* appellationem reſtringunt ad ſcenas, ludoſque publicos in populi oblectationem exhiberi conſuetos.

2. Varia eorum genera nimis cruenta, & impudica Græci, & Romani in Deorum honorem invexere. Græci in Stadio ſua ſpectacula exhibebant. Horum præcipua fuere Olympia, Iſthmia, Nemæa, & Pithia; quorum diverſæ ſpecies luctâ, ſaltu, curſu, ſcenis, jaculatione, aut pugilatu committebantur. Apud Romanos ludi Circenſes, Amphitheatrici, & Scenici viguerunt. Inter innumeras horum ſpecies Venationes, Comœdiæ, Saltationes, Megalenſes, & Bacchanales ludi recenſentur. In Venationibus homines cum feris congreſſuri in arenam prodibant, atque inter illas Tauros quoque exagitabant, & occidebant. Quod ſpectaculum à Theſſalis invectum primus Romæ exhibuiſſe dicitur Julius Cæſar, (*a*) & uſque ad Theodoſii Magni tempora frequentatum fuiſſe, ex hoc Prudentii carmine (*b*) elicitur.

Ille Urbem, vetuit, Taurorum ſanguine tingi.

3. Saltationes, ut Viri ad bellicas actiones inſtruerentur, Cretæ, & deinde Romæ inſtitutæ fuerunt. (*c*) Hinc eas Romulus *bellicrepas* appellavit. Poſtea verò Gaditani modi, (*d*) & molliſſimæ ſaltationes à Jonibus inventæ, frequentari cœperunt; (*e*) quas tamen Tiberius interdixit. (*f*)

4. Comœdiæ, quarum ſex genera fuere, cum aliis ludis ſcenicis,

(*a*) Plin. *lib.* 8. *Hiſt. cap.* 45. Quod etiam ex quodam antiquo numiſmate expreſſo ab Urſino, *de Famil. Rom.* conrectatur Amaya *lib.* 3. *Obſervat. jur. cap.* 5. *n.* 69.
(*b*) *Lib.* 2. *cont. Symmach.*
(*c*) Plat. *lib.* 7. *de legib.* Strabo, *lib.* 10. Feſt. Pomp. *lib.* 2. Alexand. ab Alex. & Tiraquel. *Genial. dier. lib.* 5. *c.* 16.
(*d*) De his Martial. *lib.* 5. *epigr.* 109. *in Cretil.* & 120. *ad Teran.* & *lib.* 6. *epigr.* 70. *de Theleſ.* Juvenal. *ſat.* 11.
(*e*) Alexand. ab Alex. & Tiraq. *ubi ſup.*
(*f*) Dio. *in Tiber. & Calig. vit.*

nicis, anno ab Urbe conditâ ferè quadringenteſimo in ſuperſtitioſum Deorum cultum, & placationem Romæ primùm actæ memorantur. Apparatu vario, multis fabularum argumentis, ridiculiſque motibus repræſentari ſolebant, eratque conſtitutum, ut Comœdi cum ſoccis proſcenia inirent, ut ad ſcenæ oſtentationem in argumentum fabulæ, pro perſonis, quas gerebant, varios amictûs induerent, ita ut pro fabulæ circumſtantiis apparatus fieret affectibus conveniens, utque argumento peracto, chorus, & tibicen introducerentur. Sic eas deſcribunt laudatiſſimi rerum antiquarum Inveſtigatores. (*g*) Nec apud eos legimus, quod aliqui ſomniarunt, ſcilicet adeò turpiter, ac impiè eas à Romanis repræſentari, ut homicidia, adulteria, aliaque crimina in ipſis relata verâ ſcelerum replicatione exprimerentur. Imò ab eruditiſſimis Scriptoribus (*h*) edocemur, in antiquis theatris viros ſine fœminis actitaſſe, & inſuper ad hiſtrionum, & ſpectantis populi licentiam cohibendam Magiſtratûs, ac Milites aſſidere conſueviſſe, pluresque leges flagitioſos penitus à theatris arcentes fuiſſe ſalubertime conſtitutas. (*i*) Et cùm poſteà ad prorumpentem hiſtrionum procacitatem continendam Romani id non ſufficere animadvertiſſent, ita eos inſectati ſunt, ut non modò ipſos notatione cenſoria tribu moverint, (*j*) infameſque pronunciaverint, (*k*) verùm etiam ab aliquibus Provinciis ejecerint. (*l*)

5. Ludi Megalenſes Deorum Matri dicati fuere. In iis permiſsâ ludendi licentiâ, perſonatos juvenes Magiſtratuum, privatorumque munia, perſonas, & facta imitari, & ante Ideæ ſimulacrum ludere, matronaſque ſpectatæ pudicitiæ in ipſis pſallere memoriæ datum eſt. (*m*)

6. Bacchanalia in Liberi honorem ab Athenienſibus inventa

tantâ

(*g*) Alexand. ab Alex. & Tiraquell. *ubi sup.*
(*h*) Eruditiſs. Boſſuet, in ſuis aureis reflexionib. *in Comœd.* Gallicè primùm, & deinde Italicè editis, *cap. 17.* Quod etiam affirmat, & fuſiùs oſtendere promittit Auctor Anonym. *Theatre Italien, vel Tragediar. collection. in præf.*
(*i*) Notant Alex. ab Alex. & Tiraq. *d. c. 16.* Caſſiod. *lib. 7. Epiſt. 10.* Vid. Cod. Teod. tit. *de Spectac. & de Scenic.*
(*j*) Cicero, 1 lib. *de Republ.* & ex eo D. Auguſt. *de Civit. Dei lib. 2. cap. 32.* & *l. 2. c. 13.* Val. Max *2. lib. 2. c. 1. de inſtitut. antiq.*
(*k*) Leg. 2. §. *Ait Prætor. ff. de his, qui notant. infam.*
(*l*) Ut ſubſeq. cap. probabimus.
(*m*) Varro *lib. 4. de ling. lat.* Alex. ab Alex. *ubi ſupr.*

tantâ licentiâ edebantur, ut homines Nympharum, & Heroum habitu bacchantes in ſorum prodirent, & modulis ad tibiæ ſonum cum laſciva geſticulatione compoſitis pſallerent, vinumque cum bellariis, libaque ex melle magnâ bibendi licentiâ circunferrent. (*n*) Quæ ſpectacula, præterquanquod per anum deliram, & temulentam indicebantur, eò inſolentiæ proceſſere, ut mulieres, virique hederâ ornati, crine fluxo, lymphatis animis debacchati, cum tyrſis, velut inſanientes, obvios ferirent. Miniſtri quoquè fanatici non minore veſania ferulas geſtabant tantâ temulentiâ, verborumque procaciâ, ut ea ſolum ab amentibus fieri potuiſſe dixerit D. Auguſtinus. (*o*) Ea Græcus quidam ignobilis in Hetruriam tranſtulit, moxque ex ea Romam penetrarunt, ubi matronarum pudicitiam corrupere. Tandem cùm noctu agi cœpiſſent, & ad ſummam libidinem deveniſſent, perpetuò Senatûs Conſulto non in Urbe modò, ſed per totam Italiam extincta fuere. (*p*)

7. Jam igitur hæc, quæ retulimus, ſpectacula, utpotè mores evertentia, vel ipſis Gentilibus adeò diſplicuere, ut ea ferè omnia damnanda, & explodenda cenſuerint. Eorum reliquias Chriſtiani Imperatores funditùs evellere ſtuduerunt. Et tandem Romanorum Imperio à barbaris, & efferatis Gentibus occupato, omnes ii ludi, & ſpectacula per nonnulla ſecula delituiſſe videntur. At quamvis Principum pietas, & temporum, rerumque viciſſitudo ea tandem aliquando extinxerint; eadem tamen, vel alia illis ſimillima, & fortaſsè eorum impietatem redolentia Chriſtiani, tanquàm Ethnici, poſteà ſuſcitarunt. Et quidem hodiè quoquè Comœdiæ cum theatralibus ſaltationibus, muſicâ, & cantu; perſonatorum hominum ludi, Bacchanalia, & Taurorum certamina haud minori licentia, & barbarie peragi conſpiciuntur.

8. Seneſcente nanque ſeculo XV., vel ineunte XVI. Muſſatus, & Triſſinus Græcorum exemplaria imitantes Tragœdias aliquas compoſuere, & cum illis Theatra jam penè disjecta, & ab hominum memo-

(*n*) De his ludis vid. D. Auguſt. *de Civit. Dei*, *l. 7. c. 21.* & Alex. ab Alex. *ubi ſuprà.*
(*o*) *De Civit lib. 6. c. 9.* ubi Marc. Varro, & *ad eum* Ludov. Vives.
(*p*) Ad hæc vid. Polyd. Virg. *de rer. Invent. c. 7.* & Beyerl. *in Theat. vit. hum. ver. Bacchanalia.*

memoriâ obliterata, in Italia primùm inſtaurarunt. Eorum ingenium plures Itali, & deinde aliarum Nationum Poetæ æmulati ſunt, brevique tempore innumeras Tragœdias, & Comœdias diverſis idiomatibus conſcriptas ediderunt. Quamobrem ſeculo XVI. jam univerſa ferè Europa theatra ad earum repræſentationes exhibendas erexerat. Hæc autem ſpectacula, eſtò jam fortaſsè cum fœminis exhibita, hodiernis honeſtiora fuiſſe, neceſſe eſt, cùm abſque aliis theatralibus facetiis, intermediiſve ludis ferio, & ſtilo ut plurimùm tragico agerentur. At cùm ferè ſub ejuſdem ſeculi initiis larvæ in theatris comparuiſſent, earumque inanitate populi abrepti in ridicula ſpectacula propendere cœpiſſent, hiſtriones, qui ad quæcunque vulgus appetat, facilè feruntur, & Tragœdias abjecerunt, (quod Auctor Theatri Italici maximè dolet) (q) & Comœdias ita lubricis, ridiculiſque argumentis, ſcurrilitatibus, transformationibus, atque intermediis ludis fœdarunt, ut eas in quædam mimica ſpectacula traduxerint. Auxit theatri licentiam uſus ab anno 1524. in Italia præſertim introductus, & adhuc magno, ut arbitror, etiam ipſius theatri præjudicio retentus ſermone ſoluto repræſentandi. Ad hæc acceſſerunt exeunte ſeculo XVI. dramata muſicalia, mollia, & ridicula tripudia, & cantilenæ. Quæ omnia, licet primùm modum aliquem ſervaverint, tandem proximo anteacto ſeculo ſtrepitum, mollitiem, & plura ſenſuum irritamenta in theatrum induxerunt.

9. Hæc theatralia ſpectacula ſenſim aucta ſunt, noviſque ſalibus, & lenociniis ita fucata, ut fidelibus illis ineſcatis, eorum conſuetudo, vel potiùs abuſus apud ipſos non ſine magno Chriſtiani nominis dedecore invaluerit. O tempora! o mores! Hodiè in noſtris theatris Venus cantatur, ſaltatur, & exprimitur. Fiunt Comœdiæ non jam tragicæ, non ſeriæ, ſed amatoriæ, vel ridiculæ; non ad morum inſtitutionem, ſed ad everſionem. In illis viri, & fœminæ procaciſſimæ de conjugum adulteriis, de adoleſcentum, meretricum, lenonum amoribus, & furtivis artibus vivaciſſimè colloquuntur, ac ludunt. Aguntur Dramata muſicalia, quæ *Opera* dici ſolent, in quibus eadem amatoria colloquia

(q) In Opere, cui titulus: *Teatro Italiano, ò ſia ſcelta di Tragedie per uſo della Scena*. tom. I. in præfatione, quam de Theatri hiſtoriâ præmittit. Hanc ſi legas (cautè tamen) operę pretium facies.

loquia molliſſimo fœminarum cantu, motibuſque ad blandientium inſtrumentorum ſonum compoſitis expreſſa, cùm ſe auribus inſinuant, animum in fraudem inducunt, & ad exitioſas cupiditates detorquent. Perſtrepunt quoquè ſaltationes, & tripudia, in quibus hiſtriones jam ſaltatricum manibus illigati, jam eas turpiſſimis corporis flexibus, & motibus circumeuntes, tumultuosè ut plurimùm, & inſani cum ipſis ſaltant.

10. Hæc omnia, quæ in noſtris theatris fieri ſolent, ſpectacula hiſtriones ut voluptuoſum populum illiciant, verbis æquivocis, & ſcurrilibus, nugamentis, geſticulationibus, & quantâ majori poſſunt ludricitate, exprimunt. Et in plurimis Provinciis, inter quas Hiſpaniam noſtram non cenſebis, tantâ quidem impudentiâ, ut mimæ virili ſchemate perſonentur, & agant.

11. Larvarum monſtra è theatris in vias, & plateas proſilientia Bacchanalium abusûs innovarunt indigno ſanè & nomine, & cultu, quum immediatè ante ſolemne illud Quadrageſimale jejunium celebrantur; idque nonnullis in locis tanta cum diſſolutione morum, & animorum, ut jam Chriſtiani, vel Ethnicos ipſos ſuperare, aut cum illis contendere videantur. Duobus ferè menſibus, quibus ea permitti ſolent, innumeræ cujuſque ſtatus, & conditionis perſonæ, nobiles, ignobiles, juvenes, adoleſcentulæ, meretrices, conjugati, & quod maximè doleo, aliquando etiam Eccleſiaſtici, ridiculè perſonati, Circæis agminibus permixti, die, ac noctu per Urbem debacchantes, cantilenis, & tripudiis inſanientes, nullum ſcelus perpetrare dubitant, aut erubeſcunt. Poſtremis autem illis carniſprivii diebus plurimi adeò ſe totos ingurgitant ventri, turpibuſque voluptatibus inſerviunt, quaſi triduo illo expleto Veneri, & Baccho ſacra facturi eſſent, non Deo. (r)

12. Cruentæ quoquè Taurorum agitationes per eadem ferè tempora inſtauratæ, nimia (ut candidè, quod ſentio, fatear) immanitate in Hiſpaniâ noſtrâ celebrantur. Ex Tauris præ cæteris aliarum Regionum ferociſſimis duodecim, vel plures ſelecti, ipſo agitationis die, manè tamen in clauſum inducuntur forum, quem non ſine vagantis, & provocantis populi ſtrage percurrunt,

(r) Bacchanalium diſſolutiones, & ſcandala omnibus innoteſcunt; ea autem deſcribit, & inſectatur P. Beſs. *Concion. in Domin. Quinq.*

runt, quouſque locum ad eos includendos diſpoſitum ingrediuntur. Populum ſtatim conſpicies ad hoc ſpectaculum, haud aliter quàm Tertulliani tempore, (ſ) *jam cum furore venientem, jam tumultuoſum, jam cæcum, jam de ſponſionibus concitatum.* Viri, & fœminæ permixti parum firmia ſubſellia, & tabulata conſcendunt. Incipit ludus: Emittitur Taurus. Prodeunt Arenarii, artemque ſuâ nimiùm confidentes, alacres eum provocant, irruentemque cuſpidibus, enſibuſque iterum, iterumque feriunt, atque eum eo ſæpè congredientes ipſum enecant.

13. Hæc, quæ deſcripſimus, ſpectacula & ea ſunt, quibus olim Gentiles delectabantur, & quæ ad eorum ſimilitudinem adſtructa in noſtris ut plurimùm theatris exhibentur. Nos autèm, dùm in hac diſſertatione publica ſpectacula à ſancto Jubilæi tempore amovere intendimus, non in illa jam obliterata, ſed in hæc duntaxat, quæ noſtris vigent temporibus, calamum ſtringimus. Nec in alios publicos, aut privatos ludos, qui vel innoxii omninò ſunt, vel Jubilæi fini minimè adverſantes, noſtra dirigetur oratio. Imò nec in Comœdias, Dramata muſicalia, aut choreas, quæ ab honeſtis perſonis in privatis domibus aguntur. Hæc enim, quanquàm æquiſſimum eſſet, ut ab his etiam Sancto Jubilæi tempore abſtineremus, cùm honeſtiora, & privata ſint, nullam ſcandali occaſionem Peregrinis præbere poſſe arbitramur. Non ideo tamen ſupervacaneam putes eam, quam præmiſimus, antiquorum ſpectaculorum deſcriptionem. Illud quippè emolumentum ex ea quiſque percipiet, ut priſcis, & hodiernis ſpectaculis ſuis propriis coloribus depinctis, alia aliis facilè conferre poſſit, & palmare argumentum ducere adversùs eos, qui antiqua ſpectacula, ut multò crudeliora, & inhoneſtiora damnantes, & noſtra defendentes, Sanctorum Patrum, quæ ſtatim adducemus, teſtimonia nequaquàm in iſta obtorqueri poſſe contendunt.

CA-

(ſ) Tertull. lib. *de Spectac. cap.* 16.

CAPUT II.

Eas adducimus SS. Patrum declamationes, & ſententias, quæ in priſca, quæ deſcripſimus, ſpectacula prolatæ, noſtra quoquè redarguere videntur. Poſteriorum præclariſſimorum Scriptorum de noſtris ſpectaculis judicium proferimus.

1. PLurimi noſtra intereſt ad ſpectacula à ſancto Jubilæi tempore amovenda, SS. Patrum, & Doctorum ſententias proferre, ut inde oſtensâ jam Jubilæi temporis ſanctitate, ejus, & ſpectaculorum oppoſitio palàm omnium oculis obverſetur.

2. Porrò Comœdiæ, Dramata muſicalia, & Tripudia, tria ſunt affinia ſpectacula, quæ in theatris ut plurimùm adnecti, vel immiſceri ſolent, & quæ hàc fortaſſe de cauſa ſimul quoquè SS. Patres impetere conſueverunt. Idcircò, ne minutior æquo capitum diviſio fiat, ea & nos ſub theatralium ſpectaculorum nomine hoc uno capite complectemur.

3. Moralis diſciplinæ libros in primis Eccleſiæ ſeculis conſcriptos evolvens nullum ex innumeris eorum temporum abuſibus, & corruptelis tantâ vehementiâ, & acrimoniâ, quantâ theatralium ſpectaculorum inſaniam, SS. Patres reprehendiſſe comperio. Ita in ea calamum acuerunt Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Baſilius, Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Salvianus, & omnes ferè alii, ut Chriſtiano viro facilè terrorem incutiant.

4. Duo, quæ in illis ſpectaculis fovebantur vitiorum genera, ad id SS. Patres commoverunt. Primum ſanè erat idolatrica ſuperſtitio, quâ hæc ſpectacula in Numinum honorem agebantur. Hinc & feſti eorum dies, & theatra ipſis erant Numinibus conſecrata. (t) Propterea Tertullianus Ethnicos Chriſtianorum nomine alloquens, (u) hæc inquit: *Æquè ſpectaculis veſtris in-*

tan-

(t) Lactant. *lib. 6. Divinar. inſtit.* Et ſi ſcire cupis quibus Diis unaquæque ſpectacula, & Theatra dicata erant, adi Alexand. ab Alex. *d. c. 16.* & præcitat. diſſertationem *Theatri Italici*.

(u) In lib. Apologet. *cap. 38. in fin.* His conſentiunt ea, quæ eiſdem ferè verbis ait Minutius Felix in eloquentiſſimo Dialogo inter Cæcilium Gentilem, & Octavium Chriſtianum; edito à I. C. Balduino Heidelbergæ an. 1560.

tantum renunciamus, in quantum originibus eorum, quas ſcimus de ſuperſtitione conceptas.

5. Alterum, quod in antiqua ſpectacula maximè Patres concitavit, & propter quod ea inſectabantur, Chriſtianoſque ad ipſa accurrentes graviter objurgabant, erat eorum ſpectaculorum inanitas, & turpitudo; imò nimia licentia, quâ eadem ab hiſtrionibus agebantur. Eâ autem ratione nihil aliud ut plurimùm damnabant, quàm inanem theatri pompam, fabularum argumenta, amatoria colloquia, modulationum mollitiem, ridiculos hiſtrionum motus, & ſcurrilitates; ſpectantis populi ad hæc riſum, & conſenſionem; nimium mimarum ornatum, & geſticulationes; atque alia theatralia ludibria, quibus bonos mores corrumpi, & animos ad ſcelera traduci exiſtimabant.

6. Dies profectò me deficeret, ſi omnia loca, in quibus hæc Patres obculpant, congerere, & ſingulatim expendere vellem. Pauca ex multis ſeligam, quæ rem planè conficiant. Et quoniàm Tertulliani teſtimonium allegare incepimus, ut oſtenderemus eum, alioſque Chriſtianos ob inbibitam ſuperſtitionem, ab ſpectaculis abhorruiſſe; audias, obſecro, ſubſequentia ipſius teſtimonii verba, quibus ipſe quoquè propter theatri impudicitiam ab illis abſtinere teſtatur. Proſequitur enim (*x*) inquiens. „ Quin „ imò & ipſis rebus, de quibus tranſiguntur, præterſumus. Ni„ hil eſt nobis dictu, viſu, auditu cum inſaniâ Circi, cùm im„ pudicitiâ theatri &c. „ At ne quis putet theatri impudicitiam, ob quam Tertullianus animum ab ſpectaculis avertebat, effrænatam licentiam, & libidinem fuiſſe, alium ipſius Tertulliani locum injungimus, in quo nullum aliud in theatris malum fuiſſe teſtatur, quàm accuratum hiſtrionum cultum, & ſpectatorum conſenſionem. Ipſius verba (*y*) damus. „ In omni ſpectaculo „ nullum magis ſcandalum, ſalutiſque diſcrimen occurret, „ quàm ipſe ille mulierum, & virorum accuratior cultus. Ipſa „ conſenſio: ipſa in favoribus aut conſpiratio, aut diſſenſio in„ ter ſe de commercio ſcintillas libidinum conflabellant. Ne-

„ mo

(*x*) *Ibid.* Aliter ab aliis hoc teſtimonium legitur; eodem tamen ſenſu retento. Illud autem ſic legit P. Georg. Ambianate in ſuo Tertull. rediviv. *tom.* 2. Ubi & *in ſcholiis ad cap.* 38., & *in obſervat.* 4. optime hunc locum explicat.

y) Ex lib. *de Spectac.* à Jacobo Pignatello tranſcripta *in d. conſultat.* 153. *n.* 124.

„ mo denique in theatro ineundo, priùs cogitat, niſi videri, & „ videre. „

7. Omnes ingenii, & eloquentiæ nervos in theatri obſcœnitates demonſtrandas D. Cyprianus tùm alibi, tùm certè in aureo libro *de Spectaculis* intendit: Et tamèn ut plurimùm nulla alia, niſi ea, quæ nuper diximus, vitia redarguit. Totus pro nobis eſt ipſe, quem laudamus librum, qui ut attentè legatur, opto. At quia novimus, eum ab hiſtrionum Patronis D. Cypriano temerè (z) abjudicari, alium Cypriani locum injungo, in quo ſtylo non minùs aculeato eadem theatri irritamenta reprehendit. „ Converte hinc oculos (*ait in Epiſtolis*) (&) ad diverſa ſpectaculi non minùs pœnitenda contagia: In theatris quoquè conſpicies, quod tibi & dolori ſit, & pudori. Cothurnus eſt tragicus priſca facinora carmine recenſere; de parricidiis, & inceſtis horror antiquus, expreſsâ ad imaginem veritatis actione, replicatur, ne ſeculis tranſeuntibus exoleſcat, quod aliquando commiſſum eſt. Admonetur ætas auditu, fieri poſſe, quod factum eſt; nunquàm ævi ſenio delicta moriuntur; nunquàm temporibus crimen obruitur, nunquàm ſcelus oblivione ſepelitur: Exempla fiunt, quæ eſſe jam facinora deſtiterunt.... Adhuc deindè morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum hiſtrionicis geſtibus inquinari?... Honor omnis, & vigor ſexûs enervati corporis dedecore mollitur, plùſque illùc placet, quiſquis virum in fœminam magis fregerit; in laudem creſcit ex crimine, eò peritior, quò turpior judicatur.... Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Jovem illum ſuum, non magis regno, quam vitiis Principem, in terrenos amores cum ipſis ſuis fulminibus ardentem, nùnc in plumas oloris albeſcere, nunc aureo imbre defluere: nùnc in puerorum pubeſcentium raptus miniſtris avibus proſilire &c. „

8. His ſanè affinia ſunt ea, quæ Lactantius Firmianus, ob politum ſcribendi genus Cicero Chriſtianus appellatus, de Comœdiis

---

(z) Diſertiores enim Scriptores, ut legitimum D. Cypriani opus, hunc librum agnoſcunt. Ita Baron., Pamel., Sirmon., Bellarm., Steph. Baluz., N. SS. P. Bened. XIV. tom. 4. Iudil. 9. editionis Ital.

(&) Epiſt. 2.

diis expreſsè loquens, eleganter diſſerit. (*a*) En, quæ ex ipſo decerpimus, verba. „ In ſcenis quoquè neſcio, an ſit corrup-„ tela vitioſior. Nam & comicæ fabulæ de ſtupris virginum lo-„ quuntur, aut amoribus meretricum, & quò magis ſunt elo-„ quentes, qui flagitia illa finxerunt, eò magis ſententia-„ rum elegantia perſuadent, & facilius inhærent audientium „ memoriæ verſus numeroſi, & ornati. Item tragicæ hiſtoriæ „ ſubjiciunt oculis parricidia, & inceſta Regum malorum, & „ cothurnata ſcelera demonſtrant. Hiſtrionum quoquè impudi-„ ciſſimi motus quid aliud, niſi libidines docent, & inſtigant?... „ Quid de mimis loquar corruptelarum præferentibus diſcipli-„ nam? qui docent adulteria, dùm fingunt, & ſimulatis eru-„ diunt ad vera? Quid juvenes, aut virgines faciant, cùm hæc „ & fieri ſine pudore, & ſpectari libenter ab omnibus cernunt? „ Admonentur utique quid facere poſſint, & inflammantur li-„ bidine, quæ aſpectu maximè concitatur; ac ſe quiſque pro ſe-„ xu in illis imaginibus præfigurat, probantque illa, dùm rident; „ & adhærentibus vitiis corruptiores ad cubicula revertuntur.„ Eadem in Divinarum inſtitutionum epitome perſtringit. (*b*)

9. Non abſimiles ob cauſas D. Cyrillus Hieroſolymitanus Patriarcha de comœdiis, choreiſque ſcribens ſic Chriſtianum admonet. (*c*) „ Non ergo ſtudioſus eſto furoris theatrici, ubi con-„ ſpicias mimorum impudicitias contumeliâ patratas.... & ho-„ minum mollium, & effœminatorum ſaltationes. „

10. Cùr etiam D. Baſilius Magnus, Maximi cognomento dignus, orcheſtram communem impudicitiæ ſcholam appellat, niſi ob meretriciorum cantuum mollitiem? Vide an aliam ipſe cauſam innuat. (*d*) „ Orcheſtra, (*inquit*) quæ abundat ſpecta-„ culis impudicis, publica eſt, & communis ſchola impudicitiæ „ iis, qui aſſident: Et tibiarum cantus, & cantica meretricia „ inſidentia audientium animis, nihil aliud perſuadent, quàm „ ut omnes fœditati ſtudeant, & imitentur cytharistarum, & ti-„ bicinum pulſus. „

(*a*) Lib. 6. *Divinar. inſtit. cap.* 20.
(*b*) Cap. 6.
(*c*) Catech. 1.
(*d*) Homil. 4. *in Exam.*

11. At ut ea, quæ & ii, & alii, quos miſſos facimus, Patres in theatralibus hiſce ſpectaculis vitio vertebant, uno videre poſſis obtutu, proferamus præclariſſimum Orientalis Eccleſiæ Doctorem, Chryſoſtomum ſcilicet, cujus vix ulla homilia ſpectaculorum reprehenſione vacat. Is ſanè ea, quæ & in antiquis, & in noſtris theatris facere conſueverunt hiſtriones, turpitudinis arguit. Audi num verum dixerim. „ Cuncta ſimpliciter, quæ tibi fiunt, „ (*ait*) turpiſſima ſunt: verba, veſtitus, tonſura, inceſſus, vo„ ces, cantus, modulationes, oculorum everſiones, ac motus, „ tibiæ, fiſtulæ, & ipſa fabularum argumenta: omnia, inquam, „ turpi laſcivia plena ſunt.... Quas ob res non cachinnis de„ fluere ridentes, ſed lacrymis gemere, ac dolere oportet. „ (*e*) „

12. Rationem alibi exprimit, quam de noſtris ſpectaculis reddere quis poſſet. In eâ quippè celeberrima homiliâ *de Davide, & Saule*, (*f*) in quâ totus in ſpectacula, eorumque amatores ſuccenditur, excommunicationem comminatur illis, qui ejus monita deſpicientes, ad ea confluxerant: Et præveniens id, quod reponere ipſi poſſent: *Et quid hic adeò magni ſceleris commiſſum eſt, ac ab iſtis ſacris cancellis arcendi ſint?* ita ipſis reſpondet, eoſque de adulterio mentali convincit: „ Imò quod delictum bis gravius „ quæris? cùm ſe ipſos planè adulterio contaminarint. Quod ſi „ avetis adulterii modum cognoſcere, non mea verba vobis re„ feram, ſed illius, qui de tota hominis vita judicaturus eſt. „ *Qui viderit* (inquit) *mulierem ad concupiſcendam illam, jam mœ„ chatus eſt eam in corde ſuo.* Quòd ſi mulier ſponte, ac fortè in „ foro obvia, & neglectiùs culta ſæpè numero curioſiùs intuen„ tem cepit ipſo vultûs aſpectu; iſti, qui non ſimpliciter, neque „ fortuito, ſed ſtudio, & tanto ſtudio, ut Eccleſiam quoquè „ contemnant, & hâc gratiâ pergunt illùc, ac totum ibi deſi„ dentes diem in facies fœminarum illarum nobilium defixos „ habent oculos, quâ fronte poterint dicere, quòd eas non „ viderint ad concupiſcendum? Ubi verba quoquè accedunt „ fracta, laſcivaque; ubi cantiones meretriciæ, ubi voces vehe„ menter ad voluptatem incitantes; ubi ſtibio picti oculi; ubi

„ co-

(*e*) Homil. 38. *in Matth.*, ſi Opus illud alteri non tribuas.
(*f*) Hom. *de Dav. & Sau.*

,, coloribus tinctæ genæ; ubi totius corporis habitus fucorum
,, impoſtura plenus eſt, aliaque inſuper multa lenocinia ad fallen-
,, dos, ineſcandoſque intuentes inſtructa: ubi ſocordia ſpectan-
,, tium, multaque confuſio, & hinc naſcens ad laſciviam exhor-
,, tatio tùm ab iis, qui ſpectaculis interfuerunt, tùm ab illis,
,, qui, quæ viderunt in ſpectaculis, poſt aliis enarrant. Accedunt
,, hùc irritamenta per fiſtulas, ac tibias, aliaque hujus generis
,, modulatio in fraudem illiciens, mentiſque robur emolliens,
,, ac meretricum inſidiis delectatione præparans illic deridentium
,, animos, efficienſque, ut facilius capiantur &c. ,, En cauſas, ob quas crebrò theatrum peſtilentiæ Cathedram vocat, incontinentiæ gymnaſium, luxuriæ officinam, & Babylonicam fornacem. (*g*)

13. An etiam his egregiis Chryſoſtomi teſtimoniis aliud, in quo ipſe eiſdem fere de cauſis choreas quoque publicas potiſſimùm damnet, adjungi efflagitas? Obſequor ſtatim. Et, ut plura alia loca prætermittam, totam illam affero Homiliam, (*h*) in quâ idem S. Doctor Baptiſtæ mortem referens, mala ex publicis fœminarum tripudiis provenientia oſtendit, eaſque choreas, ex eo tantùm quòd illæ ab impudentibus mulierculis (quales ſunt Comicæ) agantur, diabolicas, & ſpectantium homicidas appellat. Juvat hæc, quæ propter elegantiam erudito Scriptori (*i*) placuerunt verba, tranſcribere. ,, Multa noſtra hac ætate celebran-
,, tur convivia; multæ choreæ, & ſaltationes homicidæ per-
,, aguntur, in quibus non jam SS. Præcurſor interficitur, ſed ipſa
,, Chriſti Jeſu membra immaniori quodam modo, ſævitiaque
,, jugulantur: Non aſportatur in diſco caput in ſaltationis pre-
,, tium, ſed aſtantium plerique omnes fœdis, belluiniſque vo-
,, luptatibus turpiſſimè mancipantur &c. ,,

14. Novit quidem Auguſtinus omnes theatri illecebras, & hiſtrionicorum affectuum vim, eum vitæ ſuæ juvenilis errata deſcribens, candide faſſus eſt. (*j*) ,, Rapiebant me ſpectacula thea-
,, trica plena imaginibus miſeriarum mearum, & fomitibus

(g) Ead. Homil. & Homil. 29. *in cap.* 6. *Matth.* & Hom. 62. & 69. *in cap.* 2. *ejuſd.*
(h) Hom. 42. *in cap.* 14. *Matth.*
(i) Wan-eſp. *Jur. Eccleſ. par.* 2. *tit.* 17. *de feſt. cap.* 5.
(j) Lib. 3. *Confeſs. cap.* 2. *in f.*

„ ignis mei. „ Quoſnam autem hos fomites fuiſſe putas, niſi eadem, quæ nùnc audis, effœminata colloquia, eoſdem, quos nunc aſpicis, amantium ludos hiſtrionum affectibus confictos? Impenſè gaudeo id etiam Auguſtinum explicuiſſe. (k) „ Congaudebam „ (*ait*) amantibus, cùm ſeſe fruebantur per flagitia; quanvia „ hæc imaginariè gererentur in ludo ſpectaculi. Cùm autem ſe „ ſe amittebant, quaſi miſericors contriſtabar: & utrunque de- „ lectabat tamen. „ Hæc profectò rem planè conficiunt.

15. At quis prætereat Salvianum, Epiſcopum Maſſilienſem, qui quanti ab omnibus æſtimetur, norunt, qui literis dederunt operam? Nonne hic etiam eadem, quæ & nùnc ſunt, Comœdiarum, vel Tragœdiarum argumenta, hiſtrionumque facetias obculpat, cum in theatris omnes ſpectantium ſenſus conſtuprari ſuadet? Ejus, quæ damus, verba perpende. (l) „ Talia ſunt, quæ iſthic „ fiunt, ut ea non ſolum dicere, ſed etiam recordari aliquis ſine „ pollutione non poſſit: Alia quippe crimina ſingulas ſibi fer- „ me in nobis vindicant portiones, ut cogitationes ſordidæ ani- „ mos; at impudici aſpectus oculos; ut auditus improbi aures; „ ita ut, cum ex his unum aliquid erraverit, reliqua poſſint ca- „ rere peccatis: In theatris verò nihil horum reatu vacat, quia „ & concupiſcentiis animi, & auditu aures, & aſpectu oculi „ polluuntur. Quæ quidem omnia tam flagitioſa ſunt, ut & jam „ explicare ea quiſpiam, atque eloqui ſalvo pudore non valeat. „ Quis enim integro verecundiæ ſtatu dicere valeat illas vocum, „ & verborum obſcœnitates? illas motuum turpitudines? illas „ geſtuum fœditates? .... Nonnulla quippe etiam maxima ſce- „ lera incolumi honeſtate referuntur, & nominari, & argui poſ- „ ſunt, ut homicidium, latrocinium, adulterium &c. „

16. Sancti igitur Patres ob argumentorum, motuum, verborumque procacitatem, nedum ob ſuperſtitionem priſca ſpectacula damnabant. Neſcio autem quà fronte audeant aliqui dicere, ab illis idolatriam duntaxat, & enormiſſima facinora, quæ pro fabulæ argumento verè ab hiſtrionibus perpetrari conſueviſſe, falsò judicant, improbari. Videant iſti, num ego, ut ſuas ipſi excuſationes, hæc effinxerim teſtimonia.

17. Haud

(k) Ibid. *cap.* 2.
(l) Lib. 6. *de Provid.*

17. Haud alia verò poſteriores probatiſſimos Scriptores, qui ea, quæ his poſtremis ſeculis agontur, ſpectacula eâdem impetunt acrimoniâ, reprehendere comperies. Floruit Franciſcus Petrarcha ſeculo XIV., cùm nondùm choreis theatralis acceſerat impudentia, & jam eas, non minùs quàm Patres, incuſavit. (*m*) Audi verò cauſas: „ Liberæ ibi manus, liberi oculi, liberæ volant „ voces, pedum ſtrepitus, & multorum cantus diſſoni, & tubarum clangor, converſatio, & pulvis, & quæ ſæpè ludis additur, hoſtis pudicitiæ, & amica ſcelerum nox ipſa. Hæc ſunt, „ (*inquit*) quæ timorem, ac pudorem pellunt: hi ſunt libidinum „ ſtimuli: hæc laxamenta licentiæ. „ Quid clarius?

18. Hæc quidem, niſi copioſi in re notiſſimâ eſſe velimus, ſufficere exiſtimarem, ut palam oſtendatur, eaſdem ob cauſas, ob quas Patres in ſuorum temporum choreas declamabant, noſtras, maximèque publicas, aut theatrales impeti, & damnari poſſe. Tamen, ſi alium Petrarcha illuſtriorem, & recentiorem ejuſdem rei teſtem deſideras, addam Venerabilem Dei Servum, Cardinalem Robertum Bellarminum; quippè hæc ait: (*n*) „ De „ choreis tantùm dicam unum verbum, atque ideò potiſſimum; „ quòd intelligam nonnullis non videri hoc verum malum, & „ ſciam Lovanii eſſe publicas ſcholas, ubi docetur ars tripudiorum: Sed ego profectò, ſi adulterium, & fornicatio eſt malum, videre non poſſum, quomodo viros cum fœminis tripudiare non ſit malum, cum ad hoc illud maximè provoret.... „ Tu ad calorem adoleſcentiæ addes calorem potationis, deindè ibis, & redibis, cantabis, ſaltabis eum puellis, & ego nihil mali ſuſpicabor? „ Quid autem non dixiſſet, ſi de theatralibus ſaltationibus loquutus fuiſſet, queis hiſtrionum impudentia ſuperadditur?

19. Verùm, ut id, quod probare intendimus, non de chorcia tantùm, ſed de tribus theatralibus ſpectaculis evincamus, præclariſſimum nobis ſuppeditat teſtimonium S. Carolus Borromæus. Is ſanè vigilantiſſimus Antiſtes inter „ publicorum peccatorum illecebras, quas homines depravatæ conſuetudinis „ errore decepti pro nihilo putant, ponit ſui temporis ſpecta-

 „ cula

(*m*) Dial. 24. *de choreis*.
(*n*) Serm. 19. *Domin. Quadrag.*

„ cula, ludos, ludicraſque res id generis, „ quæ (*ait*) (*o*) ab „ Ethnicorum moribus originem ducunt, diſciplinæque Chri„ ſtianæ adverſantur: idque (*ut jam antea teſtatus erat*) (*p*) ob„ turpes cogitationes, obſcœna dicta, inhoneſtas actiones, mo„ rum corruptelas, & pernicioſas ad omnia opera carnis illece„ bras illis perpetuò conjunctas, tum propter cædes, rixas, diſ„ ſidia, ſtupra, adulteria, aliaque mala plurima indè conſe„ quentia quam ſæpiſſimè. „ Quamobrem Concionatorem ejus officii commonefaciens, ait, (*hæc ſpectacula*) „ perpetuò deteſta„ bitur, execrabitur, demonſtrabitque incommoda, publicaſ„ que ærumnas inde in populum Chriſtianum dimanare. „ Utque expreſſiùs oſtendat, quantùm hęc cum priſtinis ſpectaculis, in quæ Patres calamum acuere, conveniant, ſubdit: „ In quam „ ſententiam valdè populum confirmabit argumentis, quæ gra„ viſſimi viri Tertullianus, Cyprianus Martyr, Chryſoſtomus, & „ Salvianus afferunt. „

20. Prodeant nùnc scioli loquaces illi, qui confidenter, ut ſolent, diſertiſſimos noſtri temporis Scriptores, qui in hodiernæ feruntur ſpectacula, ad ea improbanda SS, Patrum teſtimoniis abuti jactant. Prodeant, & videant, quæ ipſi negligere, aut diſſimulare volunt. Statim profectò vel tantam retractabunt calumniam, vel ſuam omnibus patefacient pertinaciam.

CAPUT III.

Circa eadem theatralia ſpectacula Theologorum, & Juriſtarum opiniones indicamus, & veram Angelici Praeceptoris mentem aperimus.

1. HIs, quæ retulimus, & aliis, quæ omiſimus, conſonis SS. Patrum, Virorumque probatiſſimorum teſtimoniis Doctores (ut par eſt) omnes ſuffragantur. Portò nullum offendes, turpia, aut obſcœna ſpectacula probantem. Imò, ſi ſingulas, quæ primâ fronte contrariæ tibi videbuntur, opinionas intimè, candidèque perpendas, ea, de quibus loquimur, ſpectacula eodem, quo

(*o*) In Synod. Mediolan. III *in Act. Eccl. Mediol. p.* 400.
(*p*) Ibid. *tit.* 1.

quo à Patribus, ſenſu à cunctis Doctoribus damnari animadvertes.

2. Innumeri ſanè Theologi, & Canoniſtæ huic percelebri de theatralibus ſpectaculis quæſtioni calamum admoverunt. Eam alii de ſingulis iis ludis; alii expreſsè de choreis; plerique verò de Comœdiis inſtituunt. At hic monitum te vellem aſſertiones, quas iſti circa Comœdias ſtatuunt, æquè ad tripudia, opera, alioſque ſcenicos ludos ut plurimùm protendi; tùm quia eorum plurimi ſub Comœdiarum nomine cuncta, quæ his adjunguntur, & immiſcentur ludibria, qualia tripudia ſunt, & cantilenæ, intelligere ſolent; tùm quia ea omnia eandem ſubeunt cenſuram, cùm ab eiſdem hiſtrionibus, in eodem theatro, atque licentiâ non diſſimili exhibeantur.

3. Hoc poſito, qui hos legat Auctores, eoſque fractim, vel ſaltuatim livans, in verborum cortice conſiſtat, eos in duas contrarias abire ſententias exiſtimabit. Multi enim, præſertim Theologi Morales, noſtra ſpectacula indifferentia, ac ſubindè licita eſſe docent. (*q*) Alii verò eadem damnant ut illicita: Verùm qui diverſos, quibus ſinguli ſuas ſententias circunſcribunt, terminos obſervaverit, veroſque eorum ſenſus eruerit, unam omnium mentem eſſe comperiet: imò impudentes noſtrorum temporum hiſtriones ab iis omnibus æquè ſugillari. Vide, an vera eloquar. Qui noſtra directè improbant ſpectacula, SS. Patrum methodo magis inhærentes, quærunt, an theatrales ludi liciti ſint cum illis facetiis, & blandimentis, quibus plerunque à diverſi ſexus hiſtrionibus aguntur? Et ii apertè diſſerunt, eos in praxi illicitos eſſe cenſendos. Hoc in ſenſu Comœdias damnant, ex Theologis P. Segnerus, (*r*) Hieronymus Florentinus, (*ſ*) & doctiſſimus Boſſuet; (*t*) ex Canoniſtis Jacobus Pignatellus, (*u*) & Zegerus Waneſpen. (*x*) Qui autem eadem defendunt ſpecta-

 cula;

(*q*) Vid. P. Caſſian. à Sancto Elia, in *Arbore omnium opinion. moral. ver. Comœdia*, & D. Franc. de Amaya, in *obſervat. jur. lib. 3. c. 5. à n. 58.*, qui hos referunt Auctores.

(*r*) In gemmeo libro, cui titulus eſt, *Il Criſtiano inſtruito nella ſua legge*, *par. 3. ragionam. 31.*

(*ſ*) In Comœdiocr. ſive *Theatro contra theatr.* ferè per tot.

(*t*) In libello omnibus numeris abſoluto, primùm Gallicè ſub hoc titulo: *Maximes, & reflexions ſur la Comedie*, & jam Italicè edito Venet. ann. 1730.

(*u*) Tom. 8. conſult. 153.

(*x*) Jur. Eccleſ. univerſ. *par. 2. tit. 27. cap. 5.*

cula, ea non conſiderant, ut ſæpiſſimè in theatris fiunt, ſed ut in ſe ſunt, & propterea ea licita eſſe putant, ſub hac tamen conditione, vel limitatione, *ſi honeſtè fiant*, vel, *niſi ex circunſtantiis illicita reddantur*. Quo fit, ut re intimè inſpectâ una, & eadem ſit SS. Patrum, & omnium ferè Doctorum opinio.

4. Singulari quidem perſpicuitate id oſtendit eloquentiſſimus P. Segnerus, dum de choreis loquens, (y) hæc ait: *I Caſiſti parlano de' Balli ſpecolativamente, ſecondo che ſono in sè, e così dicono il vero, dicendo, che in ſe non ſono peccato: Ma i Santi Padri parlano de' balli, come rieſcono in pratica; e perchè in pratica portano tanta rovina all' Anime Criſtiane, però avviene, che eſſi li deteſtino tanto. Ecco in qual modo dunque ſi accordino queſte due opinioni tra lor sì oppoſte. Amendue ſono vere; ma in vario ſenſo. Non è peccato di ſua natura l' andare al ballo, ma è occaſion di peccato. onde interviene, che per le circoſtanze.... facilmente divenga peccato; il che i Caſiſti non negano; anzi in tal caſo concorrono ad inſegnare co' Santi anche eſſi, che il ballo ſia gravemente peccaminoſo... ratione periculi*. Huic inhærer doctrinæ in diſcurſu de Comœdiis, & Dramatibus, vel Operibus muſicalibus, quem, ut legas, obſecro.

5. „ Quod ut intelligas, & inſultare ampliùs non poſſis (*poſt ſimilem ſubdit explicationem P. Françoliuus*) (z) „ inſtituunt ne „ Patres citari has quæſtiones, an omnes choreæ ſint illicitæ? an „ ejuſmodi ſint choreæ inter ejuſdem ſexûs perſonas? an quæ li„ citæ per ſe ſunt, exerceri ab omnibus, aut in omni loco poſ„ ſint? Has certè quæſtiones non inſtituunt Patres, ut faciunt „ Theologi Morales, ſed invehuntur in choreas, utique, non in „ omnes, alioquin peccaſſet David animo ſimul, & corpore an„ te Arcam exultans: Ergo ſolùm aliquas. Ita profectò expli„ candi ſunt, quanvis non diſtinguant. At quis Caſuiſtarum „ omnes abſolvit? Quis non ferè omnes, quæ miſcentur à per„ ſonis diverſi ſexûs, damnavit? „

6. Utramque doctrinam adducit, & mirificè comprobat N. SS. P. Benedictus XIV. dùm, choreas redarguens, ſenſus promit eoſdem. (&) Omnes igitur Doctores, dùm theatralia noſtrorum tem-

(y) Ubi ſup. *diſc. 29. ſub n. 2.*
(z) *In Cler. Roman. cel. 7. diſſ. 7.*
(&) Tom. 4. ſuar. Inſtitut. Archiepiſcopal. *inſtit. 9.* editionis Italicæ.

temporum ſpectacula eodem, quo Patres, modo conſiderant, ea ut obſcœna, & illicita damnant. Ego quidem, licet eo ſtudio multos evolverim libros, neminem ea in praxi, vel ut plerunque fiunt, probantem inveni, niſi hiſtriones ipſos, aut turpitudinum fautores. Eos duntaxat, qui, ut fœdiſſima ſcelera majori immunitate exequantur, & iterent, theatri ſcurrilitates ficto facetiæ velo obtegunt, vel (ut ait Pignatellus) (*a*) pravæ licentiæ nomine implicant, aut ſeculorum conſuetudine involvunt, ajuntque licere id, neque inhoneſtum; quia tot ſeculis factum, receptum à populis, permiſſum à Magiſtratibus. At iſtos meritò ſugillant pii, & præclariſſimi Viri, præſertim P. Segnerus, Pignatellus, & Illuſtriſſimus juxta, ac doctiſſimus D. Boſſuet, Meldenſium Epiſcopus, qui noſtrorum theatrorum obſcœnitates invictè, & eleganter demonſtrarunt. (*b*)

7. Verùm enim verò parvi hæc omnia te factutum vereor, niſi D. Thomam, Theologorum facilè Principem ab his alienum non eſſe permonſtremus. Novimus nanque eò impudentiæ hiſtriones, eorumque patronos deveniſſe, ut tantum Doctorem pro noſtri ſeculi theatris, & his, quæ ibi aguntur, ludicris allegaverint. At quis hæc ab Angelico Doctore probari poſſe crediderit, etiam ſi eum ob ſolam caſtitatis, & doctrinæ famam cognoverit? Quis id notoriam non putet impoſturam, cùm videat ipſum S. Doctorem D. Pauli Epiſtolas explicantem (*e*) *turpitudinem, quæ eſt in tactibus turpibus, & amplexibus, & oſculis libidinoſis; ſtultiloquium, id eſt verba provocantia ad malum, & ſcurrilitatem, id eſt verbum joculatorium, per quod aliqui volunt indè placere aliis*, mortalia eſſe crimina docere?

8. Sanè Angelicus Magiſter SS. Patrum doctrinę inhærens ſpectacula, quibus pietas, bonique mores labefactari poſſunt, *vitioſa* dicit, dùm Chryſoſtomo ſubſcribens, hæc ait: (*d*) „ Inſpectio ſpectaculorum vitioſa redditur, in quantum per hoc „ homo fit pronus ad vitia vel laſciviæ, vel crudelitatis per ea, „ quæ ibi repræſentantur. Unde Chryſoſtomus *Hom. 6. in Matth.* „ di-

(*a*) Ubi ſup. n. 100.
(*b*) Ubi ſup.
(*c*) *Ad Epheſ. 5.*
(*d*) *Secund. 2. q. 167. art. 2. ad 2.*

„ dicit, quòd adulteros inverecundos conſtituunt tales inſpectio-„ nes. „ Tamen duo afferri ſolent articuli, in quibus eum hiſtrionibus, eorumque ludis favere prætenditur. Primus eſt articulus ille, (*e*) in quo *dicta, vel facta ludicra, vel jocoſa* licere *interdum* aſſerit. Alter eſt ille, (*f*) in quo inter officia utilia, & licita *hiſtrionum* artem annumerat. At quis hinc inferat D. Thomam theatralia ſpectacula, prout nùnc à levibus, & venalibus hiſtrionibus fieri ſolent, approbaſſe? In primo ſanè loco, dùm S. Doctor probat dicta, vel facta *ludicra*, vel *jocoſa*, non loquitur de ludicris, vel jocoſis, quibus hodiè ludii laſciviunt in theatris, ſed de jocis, & ludis valdè honeſtis, & moderatis ad Eutrapeliæ virtutem pertinentibus, *in quibus non quæritur niſi delectatio animalis*. Idcircò *in illis tria eſſe cavenda* monet; Primum, *quòd prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, vel dictis turpibus, vel nocivis*; ſecundum, *ne totaliter gravitas animæ reſolvatur*; tertium, *ut congruat perſonæ, tempori, & loco*. In altero autem articulo ludos quidem hiſtrionicos approbat. At quales? quomodo? Audi integram S. Doctoris aſſertionem, ne qui eam ſciſſam, & amputatam afferunt, tibi illudant. „ Ad omnia „ (*ait*) quæ ſunt utilia converſationi humanæ deputari poſſunt „ aliqua officia licita; & ideò etiam officium hiſtrionum, quod „ ordinatur ad ſolatium hominibus exhibendum, non eſt ſe-„ cundum ſe illicitum, nec ſunt in ſtatu peccati, dummodò „ moderatè ludo utantur, id eſt, non utendo aliquibus illicitis „ verbis, vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negotiis, „ & temporibus indebitis. „ Non igitur hìc loquitur D. Thomas de hiſtrionibus horum noſtri ſeculi ſimilibus, qui, ut ii, quos laudavimus Scriptores, & ipſa nos docet experientia, illicitis *dictis*, & *factis* luxuriunt, *ut indè placeant aliis*. Imò; ſi ea, quæ notat doctiſſimus Boſſuet (*g*) æſtimanda ſunt, nec de ullis hiſtrionibus comicis, aut ſpectaculis ſcenicis; non modò, quia ſimillimum veri cenſetur D. Thomæ tempore theatra ſcenica adhùc inſtaurata non fuiſſe, (quod vel ipſe S. Doctor indicare

vide-

(*e*) Ibid. *q.* 168. *art.* 2.
(*f*) *Artic.* 3. *ejuſd. quæſt.*
(*g*) In d. Libello, *cap.* 23.

videtur; dùm, ſcenicas memorans repræſentationes, (*h*) de iis tanquàm de jam antiquatis loquitur, ajens, *ludi, qui in theatris agebantur*:) ſed etiam, quia in ea, ad quam reſpondet, objectione ſub generali hiſtrionum nomine ſolùm comprebendiſſe videtur joculatores ſimiles illi, de cujus ſanctitate B. Paphnutio per revelationem conſtiterat. Quem compertiſſimum eſt (*i*) non hiſtrionem ſcenicum, ſed ſimplicem fuiſſe tibicinem, qui in vico quodam vitam hoc tranſigebat exercitio.

9. Tantùm denique abeſt, ut Angelicus Præceptor his, de quorum ludis nos agimus, biſtrionibus faveat, ut in ipſo, qui ex adverſo producitur, articulo (*j*) eos manifeſtò incuſſet, dùm hæc propè finem ſcribit. „ Si qui autem ſuſtentant illos hiſtriones, qui illicitis ludis utuntur, peccant, quaſi eos in peccato foventes. Unde Auguſtinus dicit *ſuper Joannem*, quod donare res ſuas hiſtrionibus vitium eſt immane.„

10. Quando igitur D. Thomas eiſdem, quibus noſtri aguntur, illecebris ludos conſiderat, & eos, & ludiones vel cum ipſa SS. Patrum doctrinâ damnat. Qui autem id pleniùs comprobatum videre cupiat, adeat eruditiſſimum Boſſuet, qui ſuis aureis animadverſionibus *de Comœdia*, genuinam Angelici Doctoris mentem explicat, atque illuſtrat.

CAPUT IV.

Pœnas utroque Jure biſtrionibus inflictas, præclariſſimoſque Principes, & Præſules, quibus eorum artes diſplicuere, memoramus.

1. UTut ſit de Auctorum opinione, nemo inficias ire poteſt, ſcenicos ludiones ſummâ aſperitate in Cæſareo, & Pontificio Jure deſpici, ac diſtringi. Porrò ſcenici utroque jure notantur infamiâ. (*k*) Propterea ab honoribus, & dignitatibus repellun-

(*h*) *In 4. diſt. 16. q. 4. art. 2. C.*
(*i*) Ex Vit. Pat. Ruff. *in Paphn. cap. 16. Hiſt. Laus. cap. 16.*
(*j*) Scilicet 3.
(*k*) Leg. 1. §. Ait Prætor, *ff. de his, qui not. infam. Cap. 2. c. 4. q. 1. & cap. 1. diſt. 51.*

pelluntur. (*l*) Et quidem jam olim Julium Cæſarem, & Auguſtum Senatorium, & equeſtrem titulum hiſtrionibus denegaſſe memoriæ prodidit Suetonius. (*m*) Hinc etiam Juſtinianus mulieres, quæ ſcenicis ſe immiſcuere ludis, inhoneſtam vitæ conditionem elegiſſe teſtatur. (*n*) Leges inſuper filium exhæredari, (*o*) ac mulierem repudiari (*p*) permittunt, ſi ſpectacula ille agat, hæc frequentet. Per Canonicas ſanctiones ſcenici Apoſtatis, & Dæmonibus exæquantur; (*q*) nec ipſis donare licet. (*r*) Scenici ab Eccleſia pelluntur, (*ſ*) ideòque Sacrâ Euchariſtiâ, & Eccleſiaſticâ privantur ſepulturâ. (*t*) Eorum ludis intereſſe Clerici prohibentur; (*u*) & ſi artem hiſtrionicam, vel joculatoriam exerceanr, clericali exuuntur privilegio. (*x*) Sæpè tandèm impii, turpes, viles perditique homines nuncupantur. (*y*)

2. Hæc animo volvens doctiſſimus Pignatellus (*z*) his verbis cæcum hiſtrionum amatorem redarguit. „ Tu (*ait*) honeſtos „ bos dices? Tu ab omni crimine abſolves? Tu Dei, tu homi„ num non fateberis contemptores, qui ab Eccleſia arcentur, ni„ artem ſuam deſinant? Qui à communione Chriſti Corporis „ ſegregantur? Qui infames, perditi homines dicuntur? Qui „ cum Apoſtaticis numerantur? Excommunicationi nemo ob„ noxius, niſi prius lethali peccato irretitus. „ Novimus tamen plurimos, qui, quamtunvis hiſtriones viles, & infames, imò & per-

(*l*) Leg. 1. C. *de dignit.* Cap. Maritum, *diſt.* 33.
(*m*) In C. *Caſar. cap.* 39. & *in Oct. Auguſt. cap.* 45.
(*n*) *In leg.* Imperialis, C. *de nupt.*
(*o*) *Aut.* Ut eum, *de Appellat.* §. Cauſas, *ver.* Si præter. *coll.* 8.
(*p*) *Leg.* Conſenſu, C. *de repud.*
(*q*) Cap. Donare, *diſt.* 86., & Cap. Scenicis, *diſt.* 2. *de Conſecr.*
(*r*) Ibid. Et Alexand. *in leg.* Affectionis, *de donation.*
(*ſ*) A S. Clem. P. *lib.* 8. *Conſt. c.* 32. *cap.* 7. Conc. Arelat. I. *cap.* 5. Syn. Conſtant. 6. *in Trullo.*
(*t*) Cap. Pro dilectione, *de conſecr. diſt.* 2. & Cap. Ex parte, *de Sepult.*
(*u*) Cap. Non oportet, *diſt.* 5. *de conſecr.* Cap. His igitur, *diſt.* 23. Cap. Nullus, *diſt.* 44. Cap. Cum decrem, *de Vit. & hon. Cler.* Trid. *Seſſ.* 22. *de Reform. c.* 5.
(*x*) Si ter moniti non deſtiterint, privantur per ſententiam; ſi autem per annum in arte perduraverint, ipſo jure, *cap.* 1. *de Vit. & honeſt. Cleric. in* 6. & *cap.* Si Judex, *de Sentent. excomm. eod. lib.* 6. Vid. noſt. Sapientiſs. Colleg. D. Petr. Belluga, & ejus Addition. Cam. Borrell. *in Specul. Princip. rub.* 11. *cap.* 11. *n.* 52.
(*y*) Cap. Pro dilectione, *diſt.* 2. *de Conſ.* Act. Eccl. Mediol. *p.* 1.
(*z*) Dicta conſult. 133. *n.* 106.

pernicioſos eſſe fateantur, eos, ipſorumque ludos amant, & deſiderant. Quis de iis cum Tertulliano (&) dolens, & exclamans non dixerit? *Quanta perverſitas! Amant, quos mulctant; Artem magnificant; Artifices notant.*

3. Præterea certum eſt noſtros ludiones non ſolùm deſpectos, & afflictos eſſe in Jure, ſed etiam ut pernicioſos è multis Populis per Principes, & Præſules ejectos. Ita, ne vetuſtiores proferam, Noſter Carolus V. Auguſtus Auſtriacus Imperator legem tulit, (*a*) quâ hiſtriones, mimoſque cunctos ab Imperii finibus exturbavit. Clemens VIII. Summus Eccleſiæ Præſul & Comicos ſcena privavit, & ne in plateis tabulatum conſcenderent interdixit. Ejus exemplo motus Urbanus VIII. nunquàm populi, & Procerum interceſſionibus flecti potuit, ut eos in Urbe recipi permitteret. (*b*) Hinc (ſi verum nunciatum eſt nobis) Romæ vel Comœdiæ poſthac non fiunt, vel, ſi aliquando fiant, ſine fœminis exhibentur. Neapoli verò hiſtriones exulant per ſpecialem Pragmaticam prohibentem Comœdias, & quævis alia hiſtrionica ludibria, aut nugamenta publicis in locis exhiberi. (*c*)

4. Et, ne piaculum nobis ſit, Catholicorum Regum exempla reticere, cùm in ſupremis Caſtellæ, & Aragoniæ Conſiliis diſceptata fuiſſet quæſtio: An Comœdiæ licitæ eſſent, & à Rege permitti poſſent? cùmque expoſitis in utranque partem rationum momentis, anceps nutaſſet Senatorum judicium, invictus Philippus IV. de re conſultus idem ſtatuit, quod Arcadius, & Honorius circa Majumæ ſpectaculum conſtituerunt; (*d*) ſicque Comœdias turpes, vel turpiter agi ſolitas damnavit. (*e*) Poſtea inſtante Hiſpanorum pietate, nec præmiſsâ conſtitutione contenta, prævià Theologorum, & Juriſtarum conſultatione Piiſſimus, ac Glo-

(&) *De Spectac.* cap. 22.

(*a*) In Comitiis habitis Auguſtæ Vendil. anno 1548. Conſtitutionem refert Pet. Gregor. *p.* 3. *lib.* 34. *Syntagm. jur. cap.* 16.

(*b*) Anno Jubilæi 1600. Pignat. *ubi sup. n.* 161.

(*c*) Pragm. 1. tit. *Ne quid in loc. publ. fiat*. Quam Rovitus *Comm. ſuo* exornavit.

(*d*) In leg. unic. C. *de Majuma*, Ad eam vid. Baron. *ad ann. Chr.* 399. *pag. mihi* 61. ; ſed latius, & fortaſsè ſubtilius eam explicat D. Franc. de Amaya, *Obſerv. lib.* 3. *c.* 5. *per tot.*

(*e*) In Reg. Decreto dato 17. Febr. 1651. De illo, & prævià diſputatione plura refert Illuſtriſs. ac Doctiſs. D. D. Chriſtoph. Creſpi de Valdaura, *Obſervat.* 1. § *n.* 128.

Glorioſiſſimus Philippus V. Decretum edidit, (*f*) in quo Comœdias agi vetat, ni quatuordecim conditiones pro omnimoda earum honeſtate adjectæ obſervarentur. Illudque pro ejuſdem obſervantiâ ad Præſules, & Magiſtratus omnes tranſmitti juſſit. Hac theatri moderatione adhibitâ, hiſtrionum, & ſpectatorum licentiam frænatam eſſe videbatur: Verùm, cùm eorum hominum genus ita proclive ſit ad deteriora, ut faciliùs ſit eos à voluptate prorsùs abſtinere, quàm eâ conceſsâ, intrà modeſtiæ limites contineri; pluribus ex illis 14. legibus paulisper vulneratis, ad eandem ferè licentiam theatra in Hiſpania redierunt. Nuper tamen accepi à dilectiſſimo, & ſapientiſſimo Patruo, & Benefactore meo, Doctore D. Franciſco à Lorieri, in florentiſſimâ noſtrâ Cæſaraguſtæ Univerſitate Primario S. Theologiæ Interprete emerito, ejuſque Metropolitanæ Eccleſiæ Canonico Pœnitentiario & in cujus laudem quidquid amoris, & grati, atque devincti animi exhibitio poſſet unquàm exprimere, ejus meritorum fama ſuperaret; ab eo (inquam) accepi Civitates Pampilonenſem, Valentinam, Corduvenſem, & alias, ne in illis de hiſtrionibus dici poſſit illud, quod Tacitus de Aſtrologis noverat, & affirmabat: (*g*) *Genus hominum potentibus infidum ſperantibus fallax, quod in Civitate noſtra & vetabitur ſemper, & retinebitur*, votum perpetuò à Comœdiis abſtinendi laudabiliter emiſiſse.

5. Hæc, quæ de ſcenicis ſpectaculis perſtrinximus, ſatis (ni opinione fallar) oſtendunt, quàm bonam cauſam agat, qui eas à Sancto Jubilæi tempore amovere intendit. Nunc jam methodi ratio expoſcit, ut idem de aliis, quos impetimus, ludis breviter oſtendamus.

CA-

(*f*) Die 19. Septem. anno 1725. Hanc Regiam ſchedulam tranſcribit V. Dei Servus P. Ant. Arbiol in libello poſtumo, cui titulus eſt, *Eſtragos de la luxuria, y ſus remedios &c. lib. 1. cap. 7. p. 60.*

(*g*) *Lib. 2. Hiſt.*

CAPUT V.

SS. Patrum de larvis cenſuram; De Bacchanalibus perſonatorum hominum ludis Auctorum opiniones; & leges, atque Edicta, quæ eos vetarunt, indicamus.

1. HActenus SS. Eccleſiæ Patres, Doctores, & Principes, qui tria illa ſcenica ſpectacula, Comœdias videlicet, theatrales choreas, & Dramata muſicalia damnarunt, recenſuimus. Nunc inſtituti ratio, & rei, de qua agimus, affinitas exſpoſcit, ut eodem, quem in illo argumento ſervavimus, ordine ea producamus monumenta, quibus palàm fiat, non minùs, quàm hiſtrionicos, perſonatorum hominum ludos ab illis improbari.

2. Proferantur jam Patres, atque in primis Cyprianus vetuſtus, & laudatiſſimus Doctor, quem propterea ſæpiùs allegavimus. Is ſanè ab illis, qui larvis, vel coloribus transformantur, Deum, ejuſque opera deſpici, & impugnari affirmat. Hæc, quæ exſcribimus, ſunt ipſius verba. (*h*) „ Manus Deo inferunt, quando illud, quod ille formavit, reformare contendunt. Impugnatio iſta eſt Divini operis, quando oculi tui non ſunt, quos Deus fecit, ſed quos Diabolus infecit. „ Qui enim (*appoſitè quidem ad rem proſequitur Auguſtinus* (*i*) „ quantitatem, vel formam, quam Omnipotens, & Prudentiſſimus Plaſmator finxit, in aliam transfigurare contendit, nonne evidenter dicere ei videtur, qui ſe finxit: Cùr me feciſti ſic? Improba temeritas (*exclamat*) Conditoris plaſmata vilificare, ut quantitatem ſuam, & formam, quantum in ſe eſt, in alud transfiguret! „

3. Quis jàm mirabitur D. Petrum Chryſologum aſſerere hos ita ſacrilegè perſonatos Dei ſimilitudinem amiſiſſe? Non tibi illudo: Id profectò Chryſologus affirmat. (*j*) At vide quam expreſsè. „ Similitudinem (*ait*) perdiderunt Chriſti, exuti ſunt indumentum, qui ſe ſimulacrum formis ſacrilegis formaverunt.

(*h*) Lib. *de habitu virgin.*
(*i*) Serm. 247. *de Temp.*
(*j*) Serm. 155.

,, runt. ,, En quatè Deum eos non agnoſciturum monuerat Ambroſius, (*k*) cujus verba ut hic etiam proſeram, eorum præſtantia compellit: Hæc ſunt: ,, Noli tollere picturam Dei, & pic-
,, turam meretricis aſſumere.... Nam, ſi quis adulterat opus
,, Dei, grave crimen admittit; Grave eſt enim crimen, ut pu-
,, tes, quòd meliùs te homo, quàm Deus pingat. Grave eſt, ut
,, dicat de te Deus, non agnoſco colores meos, non agnoſco ima-
,, ginem meam; non agnoſco vultum, quem ipſe formavi: Rejicio
,, ego, quod meum non eſt, illum quære, qui te pinxit, cum illo ha-
,, beto conſortium; ab illo ſume gratiam, cui mercedem de-
,, diſti. Quid reſpondebis? ,, Quid reſpondebunt ii, qui non modò vultum larvis, verùm & inſuper ſe totos ridiculis veſtibus, imò beſtiarum formâ transfigurant, & in Bacchanalibus die, ac noctu per vias, & plateas impudenter curſitant, & inſaniunt?

4. His adjunge, ſi vis, ea, quæ de larvis profert Innocentius III., (*l*) qui eas *monſtra*, earumque, ac theatralium ludorum conſuetudinem *corruptelam* vocat. Nec ea prætereas, velim, quæ circa eoſdem larvatorum hominum ludos promit, & ſtatuit S. Carolus Borromæus, (*m*) cujus verba alibi exſcribemus.

5 De SS. Patrum libris ad Doctorum ſcripta me conferens, per multos quidem, qui noſtrorum temporum larvas, & Bacchanalia damnant, & accuſant, nullum verò, qui ea honeſta, & licita eſſe dixerit, invenio. Multa quidem *de larvis, & perſonatis* affert laudatiſſimus Petrus Gregorius, (*n*) ut eos pernicioſos, & prohibitos eſſe oſtendat. His autem verbis incipit Caput, in quo illos incuſat: ,, Vitium hoc, & crimen familiare Gal-
,, lis eſt, ut perſonati irrepant in ædes alienas nolentes, qui ſint
,, detegi, propriâ conſcientiâ ſeipſos apertè nihil boni acturos
,, prodentes: Oriunturque ex illis larvis propè innumerabilia ſce-
,, lera, quæ magis cognita ſunt, quàm explicari oporteat; qui
,, enim malè agit, odit lucem, & agnoſci non vult, & mentitur
,, ſæpè & faciem, & ſexum, ut ſolent fures, luxuriæ dediti....
,, Item & ii, qui nocere, injuriamve aliis inferre deſiderant. ,,

6. Et

(*k*) Lib. 6. *Hexam. cap.* 8. omnino vidend.
(*l*) Cap. *Cùm decorem*, 12. *de vit. & honeſt. Cleric.*
(*m*) In Conc. Mediolan. III.
(*n*) *Syntagm. lib. 39. cap. 21. par. 3.*

6. Et ne, quæ ex hoc diſertiſſimo Scriptore decerpere poſſumus, ab alio mutuemus, digna quoquè puto, quæ eodem ex loco transferantur hæc, quæ ipſe poſteà animadvertit: „ Vocant „ Galli noſtri (*inquit*) perſonas has *maſcas*, & *momos*, quæ no„ mina uſque adeo horrida ſunt, & pernicioſa, ut mirer, cùr „ illi, qui ſe inter alios, alicujus eſſe pretii, honoris, & digni„ tatis jactant, & arbitrantur, velint has induere. *Maſcas* vo„ cant Longobardi cacodæmones illos nocturnos ephialtes, & „ ſtriges, & lamias, quæ feruntur devorare, & necare infan„ tes.... Græci autem μῶμος dicunt vituperationem, maculam, „ reprehenſionem: Unde Lucianus fingit in Hermotimo quem„ dam dictum illi deum Momum, qui reliquos ſuos deos irridet. „ Proinde iſti irridendi causâ, ſi ſe ita transforment, viderint, „ nùm Chriſtiano digna ſit ſubſannatio; & nùm ipſi potiùs ridicu„ li, & comptentibiles, & impii reddantur. „

7. Secutus planè videtur Petrum Gregorium doctiſſimus P. Beſs., qui & ipſe Gallus hæc de Bacchanalibus ait: (*o*) „ Hodiè „ in hac noſtrâ Galliâ omnes propemodum Deo relicto, & Tem„ plis, die laſciviæ, & voluptatum, ſcelerata, & Circea Mun„ di agmina ſequuntur. „ Et paulò poſt exprimens ſcandala, diſſolutiones, & lubricitates, refert inter illa, quòd plateæ larvatis oppletæ, menſæ aleis, & chartis plenæ, aulæ obſcœno cantu, & tripudiis laſcivientes ad omnium ſcelerum genera provocant. Hæc ille de Gallia: Vide tu, an meliora de Italia, aliiſque Regionibus dixiſſet.

8. At ne, ſi ſingulas referamus Auctorum opiniones, nimiùm protrahatur oratio, id unum dicam: comiorem, ſcilicet, Theologorum ſententiam, eſſe Chriſtianis, abſque peccato, perſonari licere ob honeſtam tamen hilaritatem, & dummodò libidinis, injuriæve periculum abſit: (*p*) Et è contrario, dùm hæc, vel alia mala probabiliter timeri poſſunt, illicitum prorsùs eſſe. Videant nùnc ipſi perſonati, an hæc opinio iis faveat, qui publicè larvati prodeuntes, die, ac noctu Bacchanalia ducunt.

(*o*) *Conc. in Domin. Quinq.*
(*p*) Id teſtantur Beyerl. in Theat. vit. hum. v. *Perſonati*, & P. Caſſian. à S. Elia, *in Arb. omnium opin. moral.* v. *Larva*. Et quidem ita tenent Sylveſt. v. *Habitus*, Armilla, v. *Larva*, &c.

9. Sed quidquid dicatur de Auctorum opinione, negari nunquàm poterit, Divino, & humano, imò & in plurimis Provinciis municipali Jure prohiberi larvis, alieniſve indumentis ementitam gerere perſonam. Sanè in Deuteronomio hoc eſt Supremi Legumlatoris præceptum: (q) *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte fœmineâ: Abominabilis enim apud Deum eſt, qui facit hæc.* Erubeſcant, & contremiſcant fœminæ, quæ ſæpè ſæpius, in his potiſſimùm Italiæ partibus, ſchemate induuntur virili, ut loca ipſis interdicta adeant (ne de multis ignobilibus dicam) ut majori libertate laſciviant. Subtaxentur hinc etiam Magiſtratus, qui mimas hoc ipſo habitu perſonatas in theatra prodire ſinunt.

10. Quod ſi canones eaſdem larvatas perſonas, imò & earum Bacchanalia ludibria vetantes afferri vis, facilè id exequar. Hùc etenim ſpectat canon primus Concilii Altiſſiodorenſis, in quo Doctores communiter tenent, (r) larvarum uſum ſub forma pecudis improbari. In eo quippè Patres prohibent, ne liceat Calend. Januar. *vitulâs*, aut *cervolos facere*, (ſ) id eſt, (ut ait noſter Gonzalezius) (t) *ſub forma vituli, aut cervoli per plateas diſcurrere, ut in feſtis Bacchanalibus.* Ex hoc canone deſumptum eſt monitorium Pœnitentialis Romani, (u) ubi hæc ſunt verba: *Si quis in Calendis Januar., quod multi faciunt, & in cervola ducit, aut in vitulâ vadit, tres annos pœniteat.*

11. At ſi expreſſiores canones produci cupis, alium expreſſiſſimum proferam. Nonnè id, quod oſtendere nitimur, apertiſſime evincit canon ille Concilii Nannetenſis in Juris Corpore comprehenſus, (x) dùm hæc ibi leguntur? „ Nullus Presbyterorum ... „ larvas Dæmonum ante ſe ferri, conſentiat, quia hoc diabolicum eſt, & ſacris canonibus prohibitum. „ Hìc quoque referri poſſent pleraque ex bis teſtimoniis, quæ caput *Cùm decorem*, explicantes adducunt Canoniſtæ. At nos in his, quæ retulimus, conſiſtamus.

12. Sa-

(q) *Cap.* 22. *v.* 5.
(r) Vid. Tamaj. Salazar *in Martyrol. Hiſp. tom.* 1. *pag.* 22. & Emann. Gonzal. *in cap.* Cum decorem, *de Vit. & honeſt. Cleric. in notis.*
(ſ) Ita id legendum probat Petr. Aurel. *tom.* 3. *pag.* 615.
(t) In notis ad d. cap. *Cum decorem.*
(u) Apud Heligar. *lib.* 6. *cap.* 6.
(x) Can. I. Conc. Nannet. relatus in cap. *Nullus*, 8. 44. diſt.

12. Sacris canonibus civilia jura, & varia Catholicorum Principum edicta omninò conſonant. Veteres clariſſimi Imperatores mimas Veſtalium habitu perſonari vetarunt. (y) Angliæ Reges larvatos omnes ultimo ſupplicio deterruerunt. (z) Noſter Carolus V., mala ex larvis provenientia conſiderans, ab earum peſte Hiſpaniam perpetuâ edictione liberavit. (&) Ejuſdem voti compos Franciſcus I. Galliarum Rex ſub bonorum proſcriptione interdixit, ne quis cum armis, præſertim larvatus, per itinera, aut Civitatem incederet. (a) Et demùm Senatus Pariſienſis larvas vendi, aut deferri vetuit. (b) En quid Patres, Doctores, Concilia, & Principes præclariſſimi de larvis, & perſonatorum hominum ludis ſenſerint. Nùnc reliquum eſt, ut id, quod de cruentis taurorum agitationibus ſentiant, oſtendamus.

CAPUT VI.

Ea adducimus argumenta, quibus noſtra taurorum agitationes improbari videntur.

1. REferri hîc poſſent ea, quibus antiquas hominum, & ferarum concertationes SS. Patres inſectabantur. At quoniam ſermonem de ſpectaculis extra præfixam nobis metam protendi animadvertimus, unum proferam Caſſiodori locum, in quo priſcarum taurorum agitationum barbariem, & pericula pulcherrimè deſcribens, hæc ait. (c) „ Actus deteſtabilis, certamen infelix „ cum feris velle contendere, quas fortiores ſe non dubitat invenire: Sola eſt ergo in fallendo præſumptio; unicum in deceptione ſolatium; qui ſi feram non mereatur effugere, interdùm „ nec ſepulturam poterit invenire. Adhùc ſuperſtite homine, „ perit corpus, & antequàm cadaver efficiatur, truculenter aſſumitur. Hunc ludum crudelem, ſanguinariam voluptatem, Religionem impiam, humanam feritatem Athenienſes primi ad

(y) In Leg. *Mima*, 4. Cod. *de Epiſcop. audient.*
(z) Polyd. Virg. *de Invent. rer. lib.* 5. Petr. Greg. *ubi prox.*
(&) *Leg. 7. tit. 15. lib. 8. nova Hiſp. legum collection.*, & ad eam Alph. Azeved.
(a) Hoc decrevit Franciſcus I. die 9. Maj 1529. De eo vide Petr. Greg. *ubi sup.*
(b) Die 25. Julii anni 1551. teſte eodem Petr. Greg. *ibid.*
(c) *Lib. 5. Epiſt. 42.*

„ Civitatis ſuæ perduxere culturam. Itur ergo ad talia, quæ re-
„ fugere deberet humanitas. Primus fragili ligno confiſus cur-
„ rit ad ora belluarum, & illud, quod cupit evadere, magno im-
„ petu videtur appetere: Ille invitat exitiabilem feram, & niſi
„ periclitatus fuerit, nihil undè vivere poſſit, adquirit &c. „

2. Hæc profectò ſunt mala, propter quæ olim Caſſiodorus hoc impium ſpectaculum execratus eſt: At eadem ferè ſunt, quæ in noſtris potiſſimùm taurorum agitationibus ut plurimùm conſpiciuntur. Porrò non aliis de cauſis noſter ille Chryſoſtomus, S. Thomas à Villanova eas, ſic graviter dolens, & exclamans, obculpat, Hiſpanoſque cæcos hujus ſpectaculi amatores redarguit. Damus ipſius S. Doctoris verba. (*d*) „ Certè quis tolleret beſtia-
„ lem illam, & diabolicam conſuetudinem Hiſpaniæ noſtræ de
„ tauris exagitandis! Quid beſtialius, quàm ſtimulare brutum,
„ ut homines laniet? O dirum ſpectaculum! O ludum crudeliſ-
„ ſimum! Vides fratrem Chriſtianum ſubitò à beſtia laniari, &
„ non ſolum vita corporis, ſed & vita animæ privari, & delecta-
„ ris, & voluptatem capis? Quanto ſtudio laboraverunt Sancti
„ DD., ut ſpectacula atrocia, & obſcœna ab Eccleſia remove-
„ rent? Factum eſt hoc, ſola Hiſpania ritum hunc Gentilicum
„ obſervavit in diſpendium animarum; & non eſt, qui redarguat,
„ & prohibeat. Ego autem, etſi ſcio, quòd non proderit, fa-
„ ciam, quod debeo, ut animam meam liberem. Itaque denun-
„ tio vobis in nomine Domini Jeſu Chriſti, quòd omnes, qui
„ hoc agitis, vel conſentitis, vel non prohibetis, cùm poſſitis,
„ non ſolum mortaliter peccatis, ſed eſtis homicidæ. Nec ſo-
„ lùm vos, ſed & ſpectatores non ſunt omninò tuti à mortali,
„ quanvis eos non audeam condemnare. „

3. Si conſulimus Scriptores, qui de hoc ludo quæſtionem inſtituerunt, omnes præſupponere comperimus, multùm Principes decere, eum prorſus interdicere. Fatear tamèn plurimos (*e*) cenſere ejuſmodi tauricidii voluptates licitas eſſe, dummodò Magiſtra-

(*d*) Concio. 2. *de S. Joanne Bapt. prope fin.*
(*e*) Navarr. *in Manual. cap.* 15. *n.* 18. Rumada ad Greg. Lop. *in leg.* 57. *tit.* 5. *part.* 1. Salzed. ad Bern. Diaz *in Praxi cap.* 72. Cened. *in collectan. ad cap.* 1. *de torneam.* Gutierr. *Canonic. qq. lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 15. D. li. Gomez de Amescua, *de poteſt. in ſe ipſ. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 22. Amaya *obſerv. lib.* 3. *cap.* 5. *in fin.*, & alii ab iis relati.

giſtratus ſedulò curent, & invigilent, ut adhibeantur cautelæ in Gregorii XIII. Conſtitutione præſcriptæ, & ab ipſis allatæ, ne ſtragibus, aut vulneribus cruentæ, & deplorabiles evadant. Hæc quidem opinio à vero non abludit. Veruntamèn non deſunt, qui & ante Pii V. Conſtitutionem, & poſt relaxatorium Gregorianum Diploma (ſtatim cum illâ à nobis allegandum) ſpectaculum iſtud noxium, & damnabile judicaverint, arbitrantes nullam diligentiam in actu practico ſufficere ad vitandas mortes, & damna tàm ex tauris, quàm ex jaculis in illos inflictis plerùnque provenientia, & ſempèr probabiliter timenda; maximè cùm talia ſpectacula eò jucundiùs inſpiciantur, quò ſævior in homines irruit taurorum ferocia cuſpidibus laceſita. (*f*)

4. Venio tandem ad hujus ſpectaculi prohibitiones referendas. Et hic quidem allegari poterant ii canones, quibus torneamenta, & haſtiludia damnantur. At ſi conſiſtere me vis in his edictionibus, quæ de noſtris taurorum agitationibus apertiſſimè loquuntur, unam Pii V. Conſtitutionem proferam. In eâ quidem Sanctiſſimus Pontifex excommunicationem edixit in milites, alioſque cum tauris in foro clauſo congredientes, in Principes, & Magiſtratus id in ſuis Ditionibus permittentes, & in Clericos tàm Seculares, quàm Regulares, qui huic ſpectaculo intereſſent. (*g*) Poſteà Gregorius XIII., rogante Philippo Secundo, Invictiſſimo Hiſpaniarum Rege, cenſuras in laicos fulminatas ſubſtulit, dummodò diebus feſtis hic ludus non fieret, & Magiſtratus maximam adhiberent diligentiam, ne ex eo cædes hominum ſequerentur. (*h*) Id verò ſummè dolent, & deplorant graviſſimi, & celeberrimi Hiſpaniæ Viri, (*i*) qui probè agnoverunt mala ex hoc ludo provenientia vitari vix poſſe. Et his quidem habes quidquid Patres, Principes, & Doctores de noſtris ſpectaculis cenſuerint.

(*f*) Hanc tuentur opinionem. Hieron. Roman. 2. *p. de Repul. lib.* 20. *cap.* 6. Bern. Diaz *in Praxi cap.* 72. Greg. Lop. *gloſ.* 2. *in leg.* 57. *tit.* 5. *part.* 2. Alcozer. *de lud. cap.* 53. *concl.* 2. Petr. Navarra *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 3. *n.* 84.

(*g*) Hæc Piana Conſtitutio edita fuit Calend. Novembr. 1567. Eam affert Cherub. *in Bullar.*, & eſt in ordine 48. Circa ipſam vide Joann. Gutierr. *ubi sup.* & P. Caſſian. à S. Elia *in arbore omn. opinion. moral. ver.* Agitatio.

(*h*) In Conſtit. edita 25. Aug. an. 1575. Ad eam vide Pet. Navarra lib. 2. de reſtit. cap. 3. Joan. Gutier., & alios, quos proximè citavimus.

(*i*) Hanc relaxationem conceſſam eſſe deplorant, Greg. Lop. *in leg.* 57. *tit.* 5. *par.* 2. Avend. in cap. *Frater*, 2. par. cap. 10. n. 2. ſed elegantiùs, & ſeveriùs Mariana *de Spectac.* cap. 24. & 25.

CAPUT VII.

Circà eadem noſtri temporis ſpectacula mentem noſtram ſummâ aperimus comitate.

1. ETſi tot SS. Patres, tot Concilia, & Viri præclariſſimi in horum ſpectaculorum conſuetudinem aſſiduè declamaverint, ut eorum oſtenderent fœditatem, utque homines ab illis arcerent; Ego cum Chryſoſtomo (j) *video, & maximè gemo, quòd tàm grande malum, hoc malum eſſe non creditur*. Quamobrem, licet lubens ipſe in eorum ſententiam propendeam, quæ juxta SS. Patrum, & Eccleſiæ monita hæc ſpectacula, prout his temporibus fieri conſuevere, damnat; tamen in re ita periculosè reſolvenda, (k) in quâ tot, tantique Viri perpetuò inſudarunt, & fruſtrà defatigati damnabiliter deſpiciuntur, mentem meam palàm exprimere non audeo: Imò nec debeo, cùm noſtrum non ſit hæc ſpectacula tibi prorsùs illicita perſuadere. Rem igitur in medio relinquo. Tuæ pietati, & prudentiæ liceat antiqua, & noſtra ſpectacula comparare; tot teſtimonia, rationumque momenta perpendere; judiciumque liberum proferre. Scio etenim neminem, qui ea, quæ adduximus, ex æquo, & bono æſtimet, ludionibus, ignaroque vulgo adeò blanditurum, ut neget ea ſpectacula bis, quibus hodie exhibentur lenociniis, & illecebris, ad Fidelium animos inquinandos, & à pietatis operibus avertendos potentiſſima eſſe, ideòque & Jubilæi fini minimè conſentanea. Dùm autem de hoc ſaltèm inter nos conveniat, nihil de reliquo diſputandum. Hoc mihi ſufficit, ut id, quod probare adnitor, obtineam.

CA-

(j) Homil. *ſupra laud.*
(k) *Omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſè veritas habeatur, periculosè determinatur*, ait D. Thom. *quodlib.* 9. q. 7. *art.* 15.

CAPUT VIII.

Noſtra publica ſpectacula Jubilæo prorsùs adverſantur; ideòque, eo durante, interdicenda ſunt.

1. SI tot rationibus perſuaſi noſtra ſpectacula omninò illicita fateamini, ſatis id mihi eſt: Et ſi omnes ita ſentirent, ſupervacaneum eſſet ulteriùs progredi, ut evincerem ea, dùm Anni Sancti peragitur Jubilæum, nullibi eſſe permittenda. At, *quamvis egò certus ſim, vos non minùs eſſe in vitæ actu graves, quàm in ſacramento fideles, tamèn quoniàm non deſunt vitiorum aſſertores blandi, & indulgentes Patroni, qui præſtant vitiis auctoritatem* (ut D. Cyprianus, librum *de ſpectaculis* Populo tradens, prænoverat) (*l*) cum illis congredi opus eſt. Et cum ipſis liberaliter acturus (ne in quæſtionis limine immoremur) fatebor comitatis ergò ea, quæ deſcripſimus, ſpectacula non eſſe ita perniciosa, ut abſolutè ſint damnanda. Quamvis enim hac in re conniveam, ne in extraneo argumento nimio plus perſiſtam, id, quod oſtendere cupio, obtinere confido.

2. Ut autem ea, de quibus loquimur, ſpectacula, etiamſi aliàs ſint tolerabilia, ab Univerſalis Jubilæi tempore amovenda probem, plurimi referre, arbitror, primò eorum, & Jubilæi oppoſitionem oſtendere. Et quidem, ſi bona fide diſputandum, non tantùm tenebræ opponuntur Soli, quantùm noſtra ſpectacula adverſantur Jubilæo. Placet utrorunque nomina primùm conferre, ut hæc etiam ſibi invicem adverſari conſpicias. Porrò *Jubilæum, Indulgentia, Annus Sanctus, Annus quietis, & pacis, Annus pœnitentiæ, & remiſſionis, Annus renovationis, & gratiæ; Annus Domini; Peregrini:* Chriſtiano Viro ſuaves, lætæ, placidæque ſunt nomenclaturæ: At *Circus, Theatra, Tragœdiæ, larvæ, taurorum agitationes, Tibicines, Cantores, Saltatores, Hiſtriones;*

(*l*) *De ſpectac.* in princ.

dira nomina. (m) Ad hæc; ludiones cuncti, & Arenarii pro mercede in publicum theatrum, aut circum prodeuntes, qualeſcunque eorum artes, ludoſque cenſeas, ab omnibus ut infames deſpiciuntur. Rompetæ verò ab omnibus commendantur, excipiuntur, & foventur. Illis donare delictum maximum; iis ſuccurrere, inſigne pietatis meritum, quia Chriſtus in ipſis ſubvenitur.

3. Præterea ludiones iſti, quantumvis eorum artes excuſes, quodammodò ſunt Gentilium imitatores, Idolorum imagines, nugarum Magiſtri, bonorum morum everſores, otii, & mollitiei fomites, Dei, & Evangelii contemptores. *Quid* (enim) *pantomimi veſtri, quid hiſtriones, quid illa mimorum, atque exoleti generis multitudo? Nonnè ad uſum quaſtus ſui abutuntur Diis veſtris* (ita Arnobius, hac de re cum Gentilibus expoſtulans) (n) *& lenocinia voluptatum ex injuriis attrahunt, contumeliiſque divinis?* Abs dubio: Cum enim ii, non minùs quàm veteres ludii, omnia lucro metiantur, ferè nihil ob Dei timorem prætereunt, nihil mali non faciunt, dummodò lucrum accedat. Ob lucrum ſtibio, & purpuriſſo pinguntur, verba in mollitiem, nutùs ad profanum amorem, geſtus ad ſcurrilitatem, motùs ad impudentiam, veſtes ad pompam, actiones omnes ad ſuperbiam, ad vanitatem, (penè dixeram) ad ſcelera componunt: Idque ut audientes captent, ut multitudinem illiciant, ut peculium adaugeant. Non horrent ipſi, imò nec illi, qui Bacchanalia ducunt, Jovis, Veneris, Bacchi, Fauni, vel ipſius Diaboli perſonas induere, verba loqui, affectus exprimere, actiones, & inſanias imitari. Solùm timent pios Eccleſiæ ritùs, & celebritates, quoniam eo, quo hæ aguntur, tempore eorum ludi, & impetus redargui, & compeſci ſolent. Quàm ægrè id ferunt! Quàm impie exclamant, jurant, deſperantur! Quàm temerè in Concionatores Apoſtolicos, imò in Epiſcopos obloquuntur, & latrant! Quàm importunè Magnates, & Magiſtratus demulcent, & exorant, vel ut Eccleſiæ functiones coarc-

(m) Demetr. Phalar. ap. Pignat. de conſult. 133. n. 81. Circa *larvarum* nomen ſpeciatim nota eas ſic dici à confictis, & ad terrorem compoſitis indumentis. Veteribus quidem erant noxæ Inferorum umbræ à *Larvis* ita nuncupatæ. Hinc D. Auguſt. *lib. 4. de Civit. larvas* dicit eſſe animas hominum depravatas, & malis vitæ meritis maculoſas, quæ terrori ſunt hominibus. Plura conſona ex Petr. Greg. retulimus *ſup. cap. 5.*

(n) Lib. 2. *adverſus Gent.*

coarctentur, vel ut etiam ipſis durantibus ludi, & ſpectacula aliquo, quod promittunt, & nunquàm ſervant, moderamine permittantur!

4. Hi ſunt publici ludiones: Peregrini verò quàm diſſimiles! Sunt Chriſti imagines, Eccleſiæ milites, Pœnitentiæ ſimulacra, veri Apoſtolorum, & Pontificis cultores. Pro Jubilæo promerendo proprias domos, atque negotia derelinquunt, humilem induunt habitum, longum iter inſtituunt, patientiſſimè labores ſufferunt, devoti pœnitentiam agunt, Eccleſias frequentant, aſſiduèque vacant orationi. Dùm anno Sancto morantur Romæ, læti conſpiciunt ſuperba Gentilitatis monumenta Pontificis, & Imperatoris manibus everſa, vel prævia expiatione in Eccleſiarum cultum tranſlata. Invicem ſibi gratulantur palam agnoſcentes Fidei, & Religionis unitatem in tot Nationum gentibus comprobatam. Demirantur paternam Summi Pontificis charitatem, & munificentiam, Romanorum Procerum pietatem eximiam, hoſpitiorum incredibilem amplitudinem, Divinique cultûs majeſtatem. Gaudent, exultant in Eccleſiis Apoſtolorum corpora, aliorumque Martyrum reliquias intuentes, & oſculantes; ſacras functiones inquirunt, illiſque cupidi ingeruntur. Concionatoribus plaudunt, & tandem tot aliorum exemplis, & propriis exercitiis edocti actiones omnes ad virtutem, & pœnitentiam inſtituunt, & plerunque rerum tractatione delectantur.

5. Juvat hic quoque in mentem revocare cauſas, ob quas, diximus, (o) Jubilæum inſtitutum fuiſſe, ſtatiſque temporibus celebrari; ut ipſis etiam ſpectacula adverſari videas. Sanè Jubilæum inductum eſt, ut humanæ naturæ infirmitas ſubſevetur, ut pigri, tepidique Fideles ad pœnalia ſatisfactionis opera alliciantur; ut Apoſtolorum Petri, & Pauli merita impenſiùs recolantur; ut, moribus in meliùs ordinatis, ſeculi corruptelæ diſſipentur; utque profanos ludos, ac ſpectacula obliviſcamur. Quàm diſtans ſpectaculorum finis! Quis ſanæ mentis non putet ea plerunque exhiberi, ut natura noſtra magis pergravetur? ut tepidi Chriſtiani magis frigeſcant, & pœnitentiam procraſtinent? ut jam obliteratorum criminum memoria replicetur? ut nunquàm Gentilium

(o) Part. 1. cap. 6.

tilium debacchationes exoleſcant? utque ſeculi corruptelæ augeantur, dominentur? Sanè ſi illa ad id conſultò non fiant, horum, quos experimur, effectuum neceſſitas efficit, ut ad id peragi videantur.

6. Converte hinc oculos ad Urbis, vel alterius Civitatis Eccleſias, in quibus Anni Sancti Jubilæum celebretur; & indè ad Circum, & theatrum. Illas intuere hoc ſacro tempore Fidelibus oppletas. Hic ſacra mirà perſolvunt ſolemnitate; illic pro Eccleſiæ, & totius Populi Chriſtiani bono publicas preces effundunt: Alii vitia reprehendunt, alii Divinum verbum attentè auſcultant; hi confitentur, illi pro culpis lacrymantur, omnes pœnitentes, omnes devoti ad Sanctorum monumenta confluunt, eoſque & pro privatis, & pro publicis neceſſitatibus enixè deprecantur. *In theatro autem omnia contraria* (ità ac ſi noſtra vidiſſet, ait Chryſoſtomus) (p) *riſus, ineptitudo, diabolicus faſtus, effuſio, temporis impendium, & ſuperflua dierum conſumptio, mala cupiditatis inductio...* (prætereo majora, quæ adnumerat, mala) *riſus materia, inhoneſtatis exempla.* At in Eccleſia pro Jubilæo promerendo aſſignatâ (S. Doctor ut tribulatæ, & afflictæ animæ bona oſtendat, de homine in carcere conſtituto loquitur) *non ita, ſed illic humilitas, ſupplicatio... ſecularium contemptus, omnia conculcata ſunt, & contempta: & tanquam infantis pædagogus adeſt timor, ad omnia congrua dirigens eum.*

7. Sed longè præſtantius eſt exemplum aliud, quo ad idem oſtendendum ipſe S. Doctor ibidem utitur. *Et ſi valtis,* (ait) *duas domos deſcribamus: hanc quidem nubentium, hanc verò lugentium:* (en tibi theatra, & Jubilæi Eccleſias) *Mente utranque ingrediamur, videamus utra melior. Invenietur enim lugubris ſapientia plena, nuptialis autem plena confuſionis. Nam vide turpia verba, incompoſitos riſus, incompoſitiores locationes, & veſtis, & inceſſus deformitate plenus. Verba multa fatuitatis, & ſtultitiæ plena, & aliud omninò nihil; riſus omnia, & deriſio, quæ ſunt illic... tunc natura debacchatur, bruta pro hominibus ſiunt præſentes: hi quidem, ut equi hinniunt, hi autem, ut aſini calcitrant. Multa effuſio, nihil ſtudioſum, generoſum nihil. Diaboli pompa, cymbala, & ti-*

(p) Homil. 62. ad Popul. Antioch.

& tibiæ, & cantica... At non ita illic; ubi luctus, omnia compoſita, multa requies, ſilentium multum, correctio multa, inordinatum nihil, nihil incompoſitum: ſi quis aliquid locutus fuerit, omnia ſunt verba philoſophiæ plena. Et id quidem mirabile, quòd per illud tempus non modo viri, verùm & famulitia, & mulieres ſapienter agunt. Videas nùnc, obſecro, quàm ſint diſſentanea Jubilæum, & ſpectacula, atque ea, quæ in utraque fiunt celebritate.

8. Præterea eo, quo publicis ludis vacamus, tempore odia, diſſidia, & conturbatio oriuntur, & foventur. Quot rixæ tùnc temporis! Quot vulnera! Anno verò Sancto, & cùm, eo Romæ expleto, ipſius anni Jubilæum, Pontifice id concedente, in aliis Populis celebratur, ſuperbia eſt refrænanda, odia inveterata extinguenda, & mores in melius ordinandi: Quomodò id autem cum illis rixarum, vitiorumque fomitibus poterit unquam obtineri? Denique, ut omnia uno complectar verbo, Jubilæi annus cunctis Chriſtifidelibus eſt expiationis, & pœnitentiæ tempus. At ſpectaculorum, & Bacchanalium dies tempus profanæ lætitiæ, confuſionis, & inſaniæ.

9. Quæ cùm ita ſint, quis maximè conveniens, imò & neceſſarium non cenſeat publicos ludos, & ſpectacula à Jubilæi tempore amoveri, ne homo *divinam venerationem confecta ſolemnitate confundat?* (q) *Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub Cælo.* (monet Eccleſiaſtes) (r) Eſt... *Tempus flendi, & tempus ridendi: Tempus plangendi, & tempus ſaltandi.* Si univerſale igitur Jubilæum inſtitutum eſt ab Eccleſia, ut omnes Fideles, velut publicam pœnitentiam agentes, ob crimina perpetrata plangant, neutiquàm eodem, quo illud agitur, tempore in theatris, plateiſve ſaltandum, haud quaquàm publicorum ludionum artibus, nugamentiſque ridendum. (ſ) Alter quis cum Chryſoſtomo mirari, & queri non poſſet, his verbis exclamans, (t) *Lacrimis tantùm pœnitentia promittitur remiſſio, & inter hæc theatra ſectamur?*

10. Hæc

(q) Leg. 2. Cod. Theod. tit. *de ſpect.*
(r) Cap. 3. v. 1. & 4.
(ſ) Ita ex hoc textu argumentatur D. Thomas *in 4. Sentent. diſt. 16. q. 4. art. 2.* ibi; *Eccleſ. 3. tempus ridendi aliud deſcribitur à tempore flendi: ſed tempus pœnitentiæ eſt tempus flendi, quia pœnitentia eſt commiſſa flere, ergo non eſt tempus ludendi.*
(t) Homil. 6. *in Matth.* Horum verborum meminit P. Segner. *d. diſc.* 31.

10. Hæc querimonia eò juſtior fit, quò apertiùs eſt omnibus in confeſſo publicos ludos, & ſpectacula, quantunvis honeſta tempori debere convenire, & alioquin in vitium declinare. Id quidem expreſsè nos docet Angelicus Præceptor, (*u*) dum inter eas, quas pro ludorum honeſtate præſcribit, conditiones hanc exprimit, ut ludus ſcilicet *congruat tempori*. Propterea in eo, in quo quærit articulo: (*x*) *Utrum ludi pœnitentiam exteriùs impediant*, poſtquam affirmativè reſpondit, de ludis *nullam turpitudinem habentibus* indefinitè loquens, ait: *Et in his etiam ludis pœnitens ſe debet habere aliter, quàm alii*, (en rationem) *in quantum pœnitentia fletum requirit*: Iis tamen ludis solùm in privato uti, permittere videtur pœnitenti, dum mox ſubdit: *tamen eis moderatè uti poteſt ſemper quod ad recreationem animi pertinent, aut ad ſocietatem eorum, cum quibus homo convivit*. Hæc quidem plurimum juvant: Aptiùs tamen res tota conficitur his, quibus ipſe Angelicus Doctor ſecundam ejuſdem articuli quæſtionem abſolvit. Ibi namque de modeſtiſſimis, imò de utilibus ſpectaculis expreſsè diſſerens, hæc ait: *quædam verò ſpectacula ſunt de rebus utilibus, & ad vitam neceſſariis, ſicut ſunt venationes, & cætera hujuſmodi*; (tu inter hæc, noſtra, quoniam ita vis, adnumera ſpectacula, ſed hæc audi, quæ ſequuntur verba) *& talia ſpectacula* (ait ipſe D. Thomas) *diſtrahunt animum: unde quanvis poſſit ſine peccato eis intendi, ſervatâ diſcretione debitâ quantum ad conditiones perſonæ, & aliarum circunſtantiarum, tamen* (hæc obſerva) *pœnitenti ſunt vitanda propter hoc, quod debet cor ad Deum collectum habere*.

11. Hanc D. Thomæ doctrinam optimè explicat, & comprobat laudatiſſimus Boſſuet in eo, cujus cum laude memini, tractatu *de Comœdia*, (*y*) ut illum, in quem ſcribit, irreligioſum theatri defenſorem invencibiliter impugnet, & redarguat. Eandem planè ſecutus videtur doctiſſimus Jacobus Menochius, dùm diebus feſtis honeſta etiam ſpectacula exhiberi non poſſe probans, hanc contra Nevizanum (*z*) ſtatuit aſſertionem: (&) *Non eſt, inquam, recipienda hæc opinio: cùm chorea, etſi honeſta, & ſimilia duci, & haberi*

(*u*) Secun. 2. q. 168. *art.* 2. C.
(*x*) In 4. Sent. *diſt.* 16. *q.* 4. *art.* 2.
(*y*) *Cap.* 29.
(*z*) *Lib.* 4. *Sylv. nuptial. à n.* 66.
(&) *De arbitrar. judic.* lib. 2. in addition. ad caſ. 69. n. 61.

beri non poſſint devotionis, & pœnitentiæ temporibus. En cùr, quanvis honeſta, ut tu putas, noſtra ſint ſpectacula, Sancto Jubilæi tempore videantur amovenda.

12. Concludamus igitur cum hàc piiſſima Valentiniani lege. (*a*) Anno Sancto, aliove Jubilæi univerſalis tempore, (*ille loquitur de feſtis, Quinquageſimâ, aliiſque Sanctis diebus*), „ quo tempore & commemoratio Apoſtolicæ paſſionis; (*b*) totius „ Chriſtianitatis Magiſtræ, à cunctis jure celebratur, omni theatrorum, atque Circenſium voluptate per univerſas Urbes earundem populis denegata, totæ Chriſtianorum, ac Fidelium „ mentes Dei cultibus occupentur. Si qui etiam nunc vel Judæi „ impietatis amentia, vel ſtolidæ Paganitatis errore, atque infania detinentur, aliud eſſe ſupplicationum, noverint, tempus, aliud voluptatum. „

CAPUT IX.

Ab his ſaltèm, de quibus agimus, ſpectaculis, dùm Roma Annus Sanctus celebratur, Fideles omnes; dum verò in aliis Regnis, vel Populis, eorum incolæ ſe abſtinere debent ob ſanctificationem Jubilæi.

1. QUando Deus Moſaicum Jubilæum inſtituit, ita ab Hebræis annum quinquageſimum ſanctificari voluit, ut ipſis non modo ſerere, & metere, verùm & ſponte nata colligere vetuerit. (*c*) *Sanctificabiſque annum quinquageſimum ... ipſe eſt enim Jubilæus ... Non ſeretis, neque metetis; ſponte in agro naſcen-*

(*a*) L. 5. Cod. Theod. lit. *de Spect.* Ad eam vid. Baro. Briſſon., & Jacob. Gothofr.
(*b*) Hanc Apoſtolicæ paſſionis commemorationem ipſis diebus Pentecoſtalibus fieri conſueviſſe docet Gothofredus. Eam autem *Paſſionem Apoſtolicam* non aliam accipi oportere putarunt aliqui, quàm D. Pauli, cujus ſanè paſſionis initium incidit in Pentecoſten, ut docetur *Actor. cap.* 21. Ipſe verò Gothofredus *hic* ex Chryſoſtomo, & Auguſtino oſtendere adnititur, pro *Apoſtolica paſſione Actus* intelligi *Apoſtolicos*, qui juxtà veterem Eccleſiæ conſuetudinem (de qua plura ibi offert eruditiſſimus P. Abbas Trombelli *par.* 2. *tom.* 1. *de Cult. SS. diſſ.* 6. *cap.* 13.) in totâ Pentecoſte legebantur. Quod ſi tunc hac de cauſa ſpectacula lex illa interdicebat, quis æquius non ducat ea quoque vetari Jubilæi Univerſalis tempore, quo Principis Apoſtolorum, & D. Pauli geſta potiſſimum, imò ex inſtituto Eccleſiæ recoluntur?
(*c*) Levit. *cap.* 25.

Digitized by Google

naſcentia . . . non colligetis ; (idque ut ipſe Dominus explicuit) *ob ſanctificationem Jubilæi* ; (*cuſtodiendam*) ſubdit Hugo Cardinalis. Erat igitur hic annus quoddam annorum Sabbathum, tempus Hebræis jucundiſſimum, & ſanctiſſimum, cùm ipſi in eo nihil, niſi ſanctum, & legi conſonum operari deberent.

2. Longè profectò diſtat ab hoc Hebræorum Jubilæo noſtrum Eccleſiaſticum. Inficias tamen iri nequit illud noſtri Jubilæi imaginem prætuliſſe, ideòque iſtud perfectius, & ſanctius jure, meritoque cenſeri. Quin etiam ſi quævis ſolemnitas eò ſanctior eſt dicenda, quò ſanctiora, & præſtantiora complectitur, ſanctiſſimum præ veteri Eccleſiaſticum evincitur Jubilæum. Et hæc cùm ita ſint; nobis eſt etiam noſtri Jubilæi tempus ſanctificandum *ob ſanctificationem Jubilæi*. Illud porrò Levitici præceptum de anno Jubilæi ſanctificando, etſi ſecundùm literalem ſenſum acceptum, penitus abrogatum ſit, tamen quatenùs quid morale continet, aut tropologicè ſignificat, viget adhùc, & ab omnibus obſervari debet, (*d*) maximè cum Eccleſia ſpirituale Jubilæum ad Moſaici ſimilitudinem inſtituens, ipſum præceptum quodammodò videatur adoptaſſe.

3. Sanè ſi Romanorum Pontificum Conſtitutiones pro Jubilæo indicendo editas perſcrutemur, facilè comperiemus, idem Levitici præceptum ab ipſis Pontificibus probari, & promoveri, quatenùs iſtud quietem, non quidem corporalem, ſed ſpiritualem, per eam myſticè ſignificatam, ceſſationem videlicet à vitiis, mundaniſque voluptatibus Sancto potiſſimùm Jubilæi tempore obſervandam indicit. In omnibus enim illis Summi Pontifices Chriſtianum Populum hortantur ad pœnitentiam peragendam, ad mores reformandos, ad ſeculi corruptelas extirpandas, & ad virtutis opera ferventiùs exercenda, ut totum Jubilæi tempus in ſummo Dei cultu, & ſanctitate tranſigatur.

4. Ne tibi illudere videar, audias, obſecro, Alexandrum VI. Hæc nanque ſunt ipſius Conſtitutionis verba: (*e*) „ Studeant igi-

„ tur

(*d*) Nam exercitia virtutum ſunt communia utrique Teſtamento, & cuicunque legi conſonum eſt maximè nos illis incumbere tempore vere ſancto, & uti tali ab Eccleſia conſtituto. Circa hæc autem vide Dominic. Sotum *de Juſt. & jur.* lib. 2. q. 4. art. 4. & Bellarm. *de bon. oper. in part.* lib. 2. c. 19. & *de cultu Sanct.* c. 10.

(*e*) In Conſtitutione incipiente *Paſtore æterne*, quæ traditur à Cyr. Franch. *de Anno Jubil.* p. 40.

„ tur omnes Chriſtifideles, ut tenentur, hoc ſacro anno Jubilæi „ corda ſua Altiſſimo præparare, mores & vitam in melius commutare, ab illicitis abſtinere &c. „ Quid verò ſi his Clementis VIII. monitum adjiciam? Is ſanè hiſce, quæ damus, verbis nos ad Anni Jubilæi ſanctificationem acuit: (*f*) „ Nunc præcipue (*ait*) omnes carnis impuritates abluendæ, ut templum „ Dei mundum ſit, & unuſquiſque vas ſuum poſſideat in honore, & ſanctificatione, & portet Deum in corpore ſuo., „ Poſtremò (*vide quæ pro Jubilæi tempore ſanctificando præſcribat*) „ furta, „ rapinæ, homicidia, & adulteria, & omnia peccata exterminanda, ut placetur ira Dei, & eos, qui Chriſtiano nomine „ gloriantur, agnoſcat verè Chriſtianos, & imitatores Chriſti, & „ ſectatores bonorum operum .... Et denique omnes unanimes in uno ſpiritu Chriſtianæ charitatis, atque in omni „ ſanctitate, & juſtitiâ Deo ſerviamus. „ His omninò conſona ſunt ea, quæ Urbanus VIII., & Innocentius X. in ſuis Conſtitutionibus (*g*) admonuerunt. Ille tamen hæc, quæ obſervatione digna puto, ſubjungit: *Dandamque operam ne quis Chriſtiano nomine abutatur*. Si alia his conſentanea monita videre quis cupiat, plura facilè inveniet, ſimiles evolvens Conſtitutiones.

5. Vides in his, quæ adduximus, fragmentis, Summorum Pontificum vota eò collimare, ut Jubilæi tempus ita ſanctificetur, ut non modò in eo ab omnibus vitiis, carniſque ſordibus purgemur, & abſtineamus, ſed etiam ab his omnibus, quæ veros Chriſtianæ charitatis, bonorumque operum ſectatores dedecent, quæve Eccleſiæ Dei, Chriſtianique nominis puritatem labefactare poſſent, & impedimento eſſe, quominùs in omnimodâ ſanctitate, & juſtitia Deo Optimo Maximo ſerviamus. Ni hiſce piis hortamentis publicas ſeculi voluptates, & noſtra potiſſimùm ſpectacula eo ſaltem tempore deſerenda indicarent, id, quod vehementer optant, aſſequi non poſſent. Quomodò enim totum illud tempus in pœnitentiæ, & ſanctitatis exercitationibus obeundis, & in corruptelis avellendis impenſum ipſis videre contingeret, ſi publicos, damnabi-

---

(*f*) In Conſtit. quæ incipit. *Annus Domini*, & eſt in ordine 58. Apud Cherub. *tom.* 3. *Bullar.*

(*g*) Prima incipit *Omnes Gentes*, & eſt in ordine 17. Altera *Appropinquat*, & eſt 22. Utranque apud ipſum reperies Cherubinum.

nabilioreſque ludos, & ſpectacula, quæ potiſſimùm corruptelæ ſunt, quæ vitia fovent, quæ Jubilæi adverſantur ſanctitati, quæ pietatis opera, Deique cultum impediunt, non minùs eo, quàm alio tempore, graſſari paterentur?

6. Velim profectò, te, quiſquis ſis, qui tùnc etiam ſpectacula ſuſtineri vis, modum nobis indicare, quo tàm strictæ, & opportunæ leges componi, atque expleri queant cum illis Circi, theatrique ſomitibus, & illecebris; cum illis Bacchanalium abuſibus, ſtrepitu, & licentià. Si verò hæc cum illis componere non audes, multò minùs conciliabis ea, quæ N. SS. P. Benedictus XIV., nunquàm ſine laude nominandus, in Jubilæi ſanctificationem eſlagitat. (b) *Quæ autem eſt* (inquit) *voluntas Dei, quàm ſanctificatio veſtra? Ad hanc perficiendam vocat vos communis Mater Eccleſia Romana, quæ proximum hunc annum in publicis Religionis, & pietatis exercitationibus totum impendet.* Poſteà ad Dei Miniſtros converſus hoc ipſis monitum injungit. *Audiant ex vobis, non ſe ad otioſam vagationem, AUT AD CURIOSA SPECTACULA huc evocari, ſed ad tractanda Chriſtianæ Militiæ arma, & ad colluctationis, pugnæque labores accìri.* Anteà verò jam Epiſcopos his verbis fuerat allocutus *Novum belli genus adverſùs ſalutis noſtræ hoſtes nunc eſt ſuſcipiendum: Cohibenda eſt ab omnibus opinandi, agendique licentia, coercenda vitæ luxuria, atque ſuperbia, ... & expurganda omnis immunditia.* Et rursùs *propè finem* ſuorum Prædeceſſorum exemplum inſequens, Reges, & Principes hortatur ad paſtoralem Antiſtitum ſedulitatem adjuvandam, ut hoc Sancto tempore *improborum licentia coerceatur, & bonorum ſtudia eorum Regiâ ope, & gratiâ foveantur.* Præterea in diſſertiſſima Epiſtola Encyclica *de præparatione ad Annum Sanctum*, ad omnes Patriarchas, & Epiſcopos tranſmiſsâ, rursùs Apoſtolicos Concionatores monet, ut adversùs notiſſimas ſeculi corruptelas inceſſanter inclament. Quorsùm autem hæc omnia, niſi ad publicos ludiones hoc ſacro tempore reprimendos? Quorſum, niſi ad Fideles avertendos à Circis, & theatris? Non ignoras nullibi tantam ſpurcitiam fœtere; nullibi tantam dicendi, agendique licentiam, vitæ luxuriam, atque ſuperbiam conſpici; nullibi Chriſtianos plu-

(b) In ſæpelaudata Conſt. *Peregrinantes*.

pluribus corruptelis, carniſque ſordibus inquinari. Haud mihi negabis, noſtros hiſtriones comprehendi in eorum hoſtium (*i*) numero, quos Pontifex compeſcere deſiderat.

7. Neque rationem video, ob quam de hoc, quod tibi perſuadere adnitor, ambigere unquàm poſſis, cùm Summos Pontifices hanc ſpectaculorum ſuſpenſionem, ut congruam, & neceſſariam peroptaſſe non modo hæc, quæ exſcripſimus, hortamina, verùm etiam ipſorum editiones manifeſtò oſtenderint. Compertiſſimum ſiquidem eſt omnibus Julium III., Gregorium XIII, Clementem VIII., Urbanum VIII., ac denuò SS. D. N. Benedictum XIV. Jubilæum univerſale celebrantes Comœdias, aliaque ſpectacula, maximè in Carnisprivijs exhiberi conſueta, nùnc Romæ, nùnc per totam Ditionem Eccleſiaſticam ob ipſius Jubilæi ſanctitatem interdixiſſe. (*j*)

8. Probarunt itaque Romani Pontifices, imò & ſpiritualiter ab omnibus obſervandum cenſuerunt illud Levitici præceptum de tempore Jubilæi ſanctificando, quatenùs illud omnimodam abſtinentiam ab operibus illicitis, & terrenis voluptatibus, ideòque maximè à publicis ludis, & ſpectaculis ſancto pœnitentiæ, & remiſſionis tempore nobis indicat. Hâc quidem abſtinentiâ Jubilæi annum ſanctificandum eſſe, etiam S. Carolus Borromæus in piiſſima illa, quam ad Populum Mediolanenſem pro Jubilæo anni 1575. ſcripſit, Epiſtolâ edocet, & ſuadet. Ipſius verba (*k*) ad

G pagi næ

(*i*) Si dubitas, vide P. Segner. *d. diſc.* 31. §. 2. ubi probare adnititur hiſtriones eſſe animarum hoſtes.

(*j*) Ea recole, quæ ex Pignatello, & P. Theodaro à Spir. S. retuli *par.* 2. *cap.* 10., & *p.* 2. *cap.* 4.

(*k*) *Eſortiamo finalmente tutti, e quelli, che faranno queſto viaggio, e quelli, che non lo poteſſero fare, che ſiccome queſto anno è chiamato Santo, così ſia da tutti ſpecialmente ſantificato, ſiano ſante le opere, ſante le parole, ſanti i penſieri, deſiderj, propoſimenti; in queſta ſantità procurino eſſer ſtabiliti, e confermati; in queſta cerchino di creſcere tuttavia queſt'anno ſpecialmente più del ſolito alle devozioni, e buone opere.... Così ciaſcun Padre di famiglia inſtituiſca con ogni diligenza, e procuri, che facciano i ſuoi figliuoli, ed altri della Caſa ſua, la quale in queſta occaſione ſpecialmente riconoſca, e purghi con ogni ſollecitudine; levi le beſtemmie, I GIUOCHI, le detrazioni,* (audiant hæc, qui me tetricum fortaſſè dicent) *le maldicenze, le parole sboneſte, l'ozio, le crapule, le diſſoluzioni.... Si moderino le ſpeſe ſuperflue, ſi sbandiſcano le pompe ed altre occaſioni de' peccati. Così celebraremo tutti ſantamente l'anno Santo &c.* Hæc Epiſtola relata eſt *in Act. Eccleſ. Mediolan.* & etiam eam edidit in ſuo Libello *de Jubil. Ann. S.* 1725. D. Innoc. Gardin. Bononienſ.

paginæ calcem rejicio, ut ſi ea videre cupias, id facile aſſequaris, & quantum nobis faveant animadvertas.

9. Studeant igitur omnes Catholici Principes, Epiſcopi, & Magiſtratus anno ſancto, eoque tempore, quo in ſuis Provinciis ipſius anni Jubilæum celebratur, populum ſibi ſubjectum à publicis ſaltem ludis, & potiſſimùm ab uſitatioribus avertere ſpectaculis. Et quoniam id admonitionibus, & hortamentis obtinere vix poterunt, omnes publicos ludos, theatrales præcipuè, & bacchanales per idem tempus interdicant. Obſequantur Optimis Summis Pontificibus, qui & id in populis ſibi temporaliter ſubjectis laudabiliter præſtiterunt, & ab aliis Principibus, & Epiſcopis fieri quoque peroptarunt. Porrò, dùm id fiat, Fideles à ludis, & ſpectaculis vacantes, potiùs, quàm Judæi corporali otio, quo ſæpiùs abutebantur ad nequitiam, intimâ, & ſpirituali quiete totum Jubilæi tempus ſanctificabunt.

10. Opportunè quidem rem totam confirmat Auguſtinus his, quæ tradit Pſalmum 91. explicans. (*l*) Ait enim: „ Ecce, & hodiernus dies Sabbathi eſt. Hunc in præſenti tempore otio quodam corporaliter languido, & fluxo, & luxurioſo celebrant Judæi: Vacant enim ad nugas; & cùm Deus præceperit Sabbathum, illi in his, quæ Deus prohibet, exercent Sabbathum. Vacatio noſtra à malis operibus, vacatio illorum à bonis operibus eſt. Meliùs eſt enim arare, quàm ſaltare. „ Et ut tibi Auguſtini mens clariùs innoteſcat, en alium S. Doctoris locum, ex quo quidem, quid ipſe ſentiat, apertiùs pateat. Id enim in ſermonibus ait. (*m*) „ Dicitur tibi, ut ſpiritualiter obſerves Sabbathum: non quomodo Judæi obſervant Sabbathum carnali otio; vacare enim volunt ad nugas, atque luxurias ſuas. Meliùs enim faceret Judæus in agro ſuo aliquid utile, quàm in theatro ſeditioſus exiſteret, & melius fœminæ eorum die Sabbathi lanam facerent, quam toto die in menianis ſuis impudicè ſaltarent. Tibi autem dicitur, ut obſerves ſpiritualiter Sabbathum in ſpe futuræ quietis, quàm tibi promittit Dominus. „ Plura valdè affinia videre poteris loca, quæ ego brevitati conſulens

(*l*) *In comm. in Pſalm.* 91. *n.* 2.
(*m*) In Serm. olim. 96. *de temp.*, in novâ editione 9., inſcribiturque, *De decem chord.*, *cap.* 3.

Digitized by Google

lens prætermitto. Ea tamen indico in imâ margine. (*n*)

11. Non me fugit, hæc Auguſtini teſtimonia communiter intelligi de diebus feſtis, ideòque eâ à pleriſque Doctoribus (*o*) ſic explicari, quaſi Auguſtinus dixiſſet, minùs mala eſſe, vel minùs cum feſtorum ſanctificationis fine repugnare opera utilia, & honeſta, quàm ludorum, aut ſpectaculorum ludibria, & nugamenta. Cæterùm cùm hæc quæ adduximus, Auguſtini loca æquè benè intelligi poſſint de quocunque tempore ſancto, & Dei cultui quomodolibet dicato; quàm optimè, etiam nulla adhibitâ interpretatione, ad ſanctum Jubilæi tempus transferuntur. Etenim cùm in eo nec nobis ſint vetita, nec fieri omninò poſſit, ut ab Eccleſia interdicantur opera omnia ſervilia, quæ tanto tempore ceſſare non poſſent ſine maximo hominum detrimento, & aliundè Jubilæi tempus ſpiritualiter ſanctificare debeamus,, aptiſſimè id, quod agimus, evincere videntur. At jam ad alia calamum convertamus.

CAPUT X.

Ea potiſſimum, de quibus diſſerimus, ſpectacula, ubicunque anno Sancto agantur, ſacras peregrinationes, atque uberiorem Jubilæi fructum impediunt, dùm autem in aliquo populo ipſum Jubilæum (ut mos eſt) extraordinariè celebratur, in eo quoque devotionem, & ipſius Jubilæi utilitatem imminuunt. Illa propterea ſaltem anno Sancto per univerſum Orbem Chriſtianum, Jubilæo verò extraordinario durante in his, in quibus iſtud celebratur, Populis vetari oportet.

1. QUanquàm (ni opinione fallar) ſatis utilis, probabiliſque fuerit noſtra in ſuperioribus Capitibus oratio, ut multi pii, doctique Viri publicos ludos, & ſpectacula Jubilæi tempore amovenda prorsùs eſſe fateantur; veremur tamen, ne rationes, quas hactenùs attulimus, deſpiciantur ab iis, qui ludionum artibus, vel argutiis obcæcati, publicas Eccleſiæ functiones,

(*n*) Idem D. Auguſt. *num. 19. tract. 3. in Joann.*, & *contra Adimant. cap. 16.*, & in enarrat. *in Pſalm. 36. n. 6.*

(*o*) Card. Bellarm. *controverſ. tom. 2. controv. 4. lib. 3. de cultu Sanct. cap. 10. in fin.* Eruditus P. Abbas Trombel. in ſuo noviſſimo, ac æſtimatiſſimo opere, *de cultu Sanct. tom. 1. par. 2. diſſert. 6. cap. 11. n. 1. in fine.*

& pietatis opera cum publicis theatri, & Circi ludibriis facilè, & temerè conciliant. Idcirco aliud afferre juvat argumentum, quo ad particulares caſus deſcendentes, id, quod oſtendere cupimus, pugnatiùs, & felicius adversùs ipſos evincamus. Id nulla ſanè via facilius me aſſecuturum exiſtimavi, quam ſi oſtenderim adeo noſtra ſpectacula Jubilæo adverſari, ut uberiorem ejus fructum imminuant, & peregrinationes, aliaque pœnitentiæ, ac pietatis opera Fidelibus injuncta pro ipſo promerendo, impediant.

2. Id palam oſtenſuri ſingula, à quibus Jubilæi tempore ſpectacula depelli cupimus, loca percurramus. Et primùm videamus nùm in ipſo populo, in quo ordinariè, vel extraordinariè Jubilæum Univerſale celebratur ea impedimento ſint, quominùs copioſior, & utilior ipſius Jubilæi fructus æſtimetur. Porrò eo in loco, & plures, & magnæ ex ſpectaculis proveniunt cauſæ, quibus Jubilæi ſtudium impeditur, & attenuatur. Primùm ſanè plurimi vel ob ipſa ſpectacula agenda, vel ob illa intuenda, & defruenda, Jubilæum ita negligent, ut nunquam illud aſſequi, & promereri ſtudeant. Etenim cum omnes faciliùs, quàm ad pœnitentiæ, & pietatis opera, ad publicas ferantur voluptates, his ſtatim dediti, & ineſcati nihil aliud curant, niſi ut ipſas paſcant; pietateque ludionum nugis oppreſa, vel penitùs extincta, nihil ſtimuli supereſt, quo ſopitæ mentes ad virtutem, & pœnitentiam excitentur. Quomodo enim ille, qui hiſtrionicis ludibriis, & blandimentis aſſiduè demulcetur; quique vel totâ die larvatùs inſanit, vel aliorum perſonatorum agmina inſequens, ipſorum ludis occupatur, ſtatim Circum, & theatra relinquet, pœnalibus ſatisfactionis operibus vacaturus? *An ille recogitabit eo tempore de Deo poſitus illic, ubi nihil eſt de Deo?* (p) An concionibus, & hortamentis ad Jubilæum excitabitur, qui hiſtrionum duntaxat ſcurrilitatibus delectatur, & movetur? Id fortaſſe incautis perſuaſum ibunt hiſtriones, at probi, doctique Viri non credent.

3. Præterea, quanvis ii, & alii ipſius populi incolæ ad Jubilæum promerendum confluant, cùm ſpectacula ibidem perſtrepunt, tamen cùm plerique ab his nuper diſceſſerint, non ita præparati, & diſpoſiti injuncta pietatis opera aggredientur, ut eum, quem

---

(p) Sic argumentatur Tertull. *de ſpectac.* cap. 23.

quem optant, & alias promererent Indulgentiæ fructum aſſequantur. Id perſpectum eſt omnibus, qui probè norunt quâ ſpiritus puritate, quâ pœnitudine, & devotione ad ſanctum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentum accedi debeat. At ſupponamus, quoniam id ita fortaſſe vis, omnes repenti, planèque admirando ſpiritu pietatis accenſos, tanta devotione pias pœnitentiæ exercitationes aggredi, & obire, quantâ eas peragerent, ſi nunquàm ſpectaculis aſſediſſent. Verùm dic, obſecro, quanto tempore eorum plurimi in eâ perſiſtent? Porrò, ſi ut plerunque id evenire nos docuit experientia, eo, quo plerique ad ſpectacula feruntur ſtudio, ſtatim ad ipſa redeant, illicò charitatem, & devotionem illam labefactari, & remitti animadvertes. Ne verò mi temerè ſuccenſeas, exſcribere hic juvat illud, quod jam alibi me adduxiſſe memini, Angelici Præceptoris teſtimonium; aptiſſimum quippe eſt ad id, quod protuli, comprobandum. Vide an tibi illudam; hæc enim ipſius Sancti Doctoris ſunt verba: (*q*) *Quædam vero ſpectacula ſunt de rebus utilibus, & ad vitam neceſſariis; ſicut ſunt venationes, & cætera hujuſmodi*; (cùm de his id, quod ſatis mihi eſt, S. Doctor affirmet, fruſtra tranſcriberem ea, quæ de damnabilioribus ſpectaculis præmittit) *& talia ſpectacula* (ait) *DISTRAHUNT ANIMUM*: Moxque ſubjungit. *Undè quamvis poſſit ſine peccato eis intendi, ſervatâ diſcretione debitâ quantum ad conditiones perſonæ, & aliarum circunſtantiarum, tamen pœnitenti ſunt vitanda propter hoc, quod debet cor ad Deum collectam habere, niſi quatenus neceſſitas expoſcit.*

4. Maximum itaque præjudicium Jubilæo inſerretur per ſpectacula eodem exhibita in loco, & tempore, quo ipſum celebratur: At longè majus ſi ea Romæ etiam anno Sancto exhiberentur: Ibi enim non modo incolas, verumetiam exteros à Jubilæo comparando averterent. Innumeri ſanè, ii potiſſimùm, qui vero Religionis ſtudio Romam petunt, prænoſcentes pericula, & nocumenta, quæ ludorum, & ſpectaculorum ſtrepitu, & licentiâ ipſis præbere poſſet ea ipſâ Urbs, quam non inani curioſitatis ſtudio, ſed ſanctitatis ſuſcipiendæ cauſa adire cupiunt, nunquam ſuum in animum inducerent longam, & laborioſam ad eam pere-

(*q*) *In 4. Sent. diſt. 16. q. 4. art. 2. ad 2.*

grinationem inſtituere. Hac ſanè de cauſa Niſſenus amicum ſuum à peregrinatione abducit. (*r*) Sed nec propter aliam Hieronymus conſultius cuique eſſe monet in Patria degere, quam ad Urbem ludis, & vitiis laſcivientem peregrinari. (*ſ*) Hæc ſunt Hieronymi verba, quibus ad peregrinationes prorsùs improbandas abuti ſolent Proteſtantes. „ Si Crucis, (*inquit*) & reſurrectionis „ loca non eſſent in Urbe celeberrima, in qua curia, in qua aula „ militum, in qua ſcorta, mimi, ſcurræ, & omnia ſunt quæ ſolent in cæteris urbibus, vel ſi Monachorum turbis ſolummodo „ frequentaretur, expetendum re vera hujuſmodi cunctis Monachis eſſet habitaculum. Nunc vero ſummæ ſtultitiæ eſt renuntiare ſeculo, dimittere patriam, urbes deſerere, Monachum „ profiteri, & inter majores populos peræque vivere, quàm eras „ victurus in patria. De toto hùc Orbe concurritur. Plena eſt „ Civitas univerſi generis hominum, & tanta utriuſque ſexus conſtipatio, ut quod alibi ex parte fugiebas, hìc totum ſuſtinere „ cogaris. „ Horum ſanè conſideratio innumeros à ſancto peregrinandi propoſito abduceret timentes, ne ubi gratiam, & omnium culparum remiſſionem eſſent aſſecuturi, novis irretirentur illecebris.

5. At tranſeamus jam ad alia Chriſtianitatis loca eiſdem publicis ludis occupata. In his quoque anno Sancto propter ipſa ſpectacula, peregrinationis, & Jubilæi ſtudium duplici via remitti, atque imminui cognoſces. Porrò plurimi eorum populorum incolæ publicis voluptatibus, & ludibriis mancipati illis detinebuntur, quominus Jubilæi accendantur deſiderio, & Romanum iter arripiant. Quomodo enim ii, qui publicæ lætitiæ voluptatibus ſemper indulſere, qui eas cupidiſſimè ambiunt, & ſciunt continuò eſſe replicandas, ipſis ſubito valedicent, & à voluptuoſo populo diſcedent, ut ſanctæ peregrinationis labores ſubeant? Norunt ſanè probi, expertique, quos interpello, Viri eos ſemel Mundo, ejuſque ludibriis addictos difficulter ab ipſis ſeparari. Devius quip-

(r) In celebratiſſima illa Epiſt., quam *de peregrinationibus Jeroſolymitanis* ad amicum ſcripſit, *tom.* 3. quæ etſi viſi ſint dubitaſſe, num Niſſeni ea foret, Bellarm. *de cult. Sanct.* lib. 3. cap. 8., & Greiſer. in adnotation. in hanc ipſam Epiſt. *pag.* 71. *tom.* 3. *oper.* Greg. Niſſeni: ei tamen tribuendam eſſe ajunt Tillemont, aliique ſummi nominis Viri.

(ſ) In Epiſt. olim. 13., in Veronenſi editione 58. *ad Paulin.* num. 4.

quippe Mundi motus, quo vivere conſuevere, rarò deflectit, ferè nunquàm ſiſtit, ſed illos in gyrum trahens, de voluptate in voluptatem revolvit; incipit, & perennat in ipſis molendini motui perſimilis. *Molendinum* (nanque) *puto dictam Mundum iſtum* (verbis utor Auguſtini) (*t*) *qui rota quadam temporum volvitur, & amatores ſuos* (in orbem actos) *conterit*.

It mola, perque ſuos rapitur circumvaga gyros,
Et perit his quidquid conficit illa vix.

Haud aliter *in circuitu impiorum ambulant*, (*u*) qui ſemel ſpectaculis ſunt ahrepti. His vacant, donec durant: Colunt Sodomam, & Gomorram boum labore, qui ſemper redit in orbem, & nunquam deſinit, ſed cùm explicari videtur, revocatur in exordium. Verbo dicam: *Æſtimaverunt luſum* (voluptates, & oblectationes) *eſſe vitam noſtram*; (*x*) & ſic eas uſque ad ſepulcrum fortaſſe non deſerunt, & tunc adhuc multi (ut ait D. Gregorius) (*y*) *voluiſſent ſine fine vivere, ut potuiſſent ſine fine delectari*.

6. Quid autem ſperare poſſumus à ludionibus ipſis tunc in illis populis inſaniæ, & ſcurrilitatis præferentibus diſciplinam? Num iſti ſuis artibus, & quotidiano lucro ob Jubilæum procurandum renuntiare volent, aut poterunt? Porrò ſi publici ludi eo ſancto tempore nullibi permitterentur, vel ipſa anteactæ vitæ meditatio, vel otium ipſum eorum plures ad peregrinationem ſuſcipiendam, atque ad Jubilæum promerendum impelleret. Quantum autem ex eo Jubilæi fructus accreſceret! Quanta utilitas univerſo Orbi Chriſtiano proveniret! Si enim hiſtriones aliquando theatri licentiam ad honeſtatis terminos reducturos fore ſperari poſſet, id eo potiſſimum tempore Jubilæi præſidio fururum eſſe putarem.

7. At ſpectacula, quæ, dum Romæ Sacer celebratur annus, in aliis Chriſtianitatis populis aguntur, non modo cives, & ludiones à Jubilæo, & ſacris peregrinationibus avertunt, ſed etiam Peregrinos, qui illàc tranſeuntes, vel ludorum curioſitate, & illecebris detinentur, vel inquinantur, vel plerunque fortaſſe ab

(*t*) *In Pſalm.* 36.
(*u*) *Pſalm.* 11. *v.* 9.
(*x*) *Sapien. cap.* 15. *v.* 12.
(*y*) *Lib.* 4. *dial.* 43. Refertur à Gratiano in Cap. *Voluiſſent*, &c. *de Pœnit. diſt.* 2.

inſtituto itinere abducuntur. Novit hæc pericula, eorumque meminit ipſe, quem laudavimus, Niſſenus, (z) his verbis amicum alloquens. „ Cum autem in locis illis orientalibus diverſoria, atque hoſpitia, & urbes ipſæ in morum, peccandique „ licentiam inclinatæ ſint plurimum, quî fieri poterit, ut per fu- „ mum ambulans, oculis non lædaris? Si quum inquinatur, & „ auris, & oculus, inquinatur & cor per oculos, & auris tur- „ pia excipiens, impollutuſne eris, quum per polluta loca pertranſieris? „ Sanè Peregrini ſtatim, ac voluptuoſam Urbem ingrediuntur, ſpectacula perſtrepere ſentiunt, inſanientis populi plauſus audiunt, omnes cupidos, & præcipites ad ea accurrere conſpiciunt. Excitatur in ipſis curioſitas, pauliſper tepeſcit devotio; & accedentibus ad hæc mundanorum civium ſuaſionibus, ſancti propoſiti immemores ad circum, aut theatrum confluunt, vel larvatorum hominum turmis immiſcentur. Demerſis jam *in malignitatis profundo*, (&) eorum pietas eò fortius à Dæmone expugnatur, quò majorem victoriam ſe reportaturum intelligit. Enervatur illa ludiorum nugamentis, horumque prurigine, ac titillatione labefacta languet. Pietate prorsùs extinctâ, una ſpectaculorum cupiditas accenditur; Jubilæi ſtudium remittitur; & peregrinatio faſtidit. Tunc plurimi vel, iſtâ omninò neglecta, toti ludis mancipantur, vel illam ſaltem eo, quo ipſam ſuſceperant, ſtudio, & devotione non perficiunt: Videant, & candidè hæc omnia Principes contemplentur, & facile agnoſcent, quanti Religioni, & populis ipſis interſit per totum annum Sanctum in omnibus Chriſtianitatis locis publicos ludos interdici.

8. Verùm ad hæc, quæ deſcripſimus, ſpectaculorum mala nonne aliud etiam accedit in maximum ipſius Jubilæi, ſacrarum peregrinationum, imò & Chriſtiani nominis contemptum? Nonne Catholicos Sancto Jubilæi anno ad ea accurrere, eſt Judæos, & Hæreticos, noſtro alias excitandos exemplo, ſcandalo deterrere, longiùs ab Eccleſia fugare, atque anſam illis quodammodo præbere, ut obmurmurent, & Jubilæum audacius irrideant? Porrò hæretici, haùd minùs, quam Judęi (de quibus ad rem loquitur Chry-

(z) In prælaudata Epiſt. *pag.* 652.
(&) Sic theatrum vocat Euſeb. Cæſar. *de preparat. Evang.* lib. 7. cap. 3.

Chryſoſtomus) (*a*) „ videntes eos qui quotidiè in templo verſan-
„ tur, & doctrinas audiunt ſimul ibi (*in theatro*) comparere,
„ & ſibi commiſceri, quomodo res noſtras pro deceptionibus
„ non habebunt, & non idem de omnibus nobis ſuſpicabun-
„ tur? ... Nam quando vident parvum aliquod delictum noſtro-
„ rum, ſtatim linguam exacuunt ſimul contra nos omnes, & ex
„ unius delicto totam Chriſtianorum gentem judicant ... & pu-
„ tant velamenta errorum ſuorum eſſe aliorum deſidiam „ Quid, ſpectaculis Jubilæi tempore permiſſis, adversùs nos, & Jubilæi celebritatem non ſcriberet Georgius Calliſtus, hæreticus ille, qui Romæ anno Sancto, etiam illis amotis, ſuperſtitionibus, nugis, & novitatibus Peregrinos offendi Chriſtophoro Ranzovio, aliiſque Romam petere cupientibus perſuadebat? (*b*) Ego quidem neſcio, quomodo Hæretici fidelium pietate moti convertentur, & (ut pluries accidit) Jubilæum ambient, ſi illud videant tam parvi facere Catholicos, ut ſimul ad circum, & theatrum confluant, vel Bacchanalium ludis inſaniant.

9. Oſtendunt igitur hæc omnia ludos præſertim publicos, & ſpectacula ubique Sancto agantur anno; & Jubilæi extraordinarii tempore, imo, in quo illud celebratur, populo Jubilæi fructum plurimum imminuere, & devotionis ſtudium impedire, quod jam pridem docuerat D. Thomas. (*c*) Quis autem, dum id noverit, ab illis locis, & temporibus ſpectacula ableganda non cenſeat? Porrò qui Jubilæo, & Romipetis ea officere fateatur; quanvis ipſa honeſta, atque indifferentia eſſe putet in hoc à nobis diſſentire non poterit. Quia etiam indifferentia vetari debent, quando fini ſalutis æternæ, & publicis Religionis actibus præbent impedimentum; imò & quando obſtant bono, aut utilitati Reipublicæ, ut in tractatu *De legibus* edocemur. At id fuſius mox differendis comprobabimus.

CA-

(*a*) Hom. 7. in cap. 1. *Geneſ.* non longè ab exordio.
(*b*) Id teſtatus eſt Ranzovius ipſe in illa, quam alibi citavimus, Epiſtolâ ad eundem Georgium Calliſt. ſcriptâ.
(*c*) Dicto artic. 2. *ubi per tot.* docet ludos pœnitentiam exterius impedire.

CAPUT XI.

Eoſdem ludos, & ſpectacula utroque Jure diebus feſtis vetari oſtendimus, quia Dei cultum, & opera virtutis impediunt. Hinc ea ſimiliter evincimus Jubilæi tempore interdici oportere his in locis, in quibus ab ipſius Jubilæi ſtudio Fideles abducere probavimus.

1. SI diebus feſtis ab operibus ſervilibus, etiam aliàs licitis, & honeſtis Eccleſia nos arcuit, ut facilius, liberiuſque dies illos Deo, pietatiſque exercitationibus addicere poſſimus; quanto majori ſtudio, & ratione nos avocaſſe dicenda eſt ab his omnibus, quæ Divino cultui apertiſſimè obſiſtunt, uti ſpectacula, & ſimilia, quæ vel illicita omnino ſunt, vel animum ad peccata traducunt. Porro præter nuper (*d*) allata Auguſtini teſtimonia, infinita extant Sanctorum Patrum, & utriuſque Juris argumenta, quibus id oſtenditur. Innumera propemodum ſunt ea, quæ ex veteris Juris Eccleſiaſtici monumentis decerpſit, congeſſitque (*e*) meus undequaque Illuſtriſſimus, omniumque Nationum encomiis laudatiſſimus (*f*) Civis, & Collega, D. Antonius Auguſtinus, quem honoris cauſa nomino, & quo ante alios omnes, quos per quatuor ferè ſecula produxit, Viros omnium ſcientiarum genere ornatiſſimos, dum fuerit literis honos, & pretium ſuum, merito Domus iſta gloriabitur. (*g*) Permulta quoque eandem in rem cum ex veteri, tum ex noviſſimo Jure promunt Briſſonius, (*h*) Gothofredus, (*i*) Thomaſſinus, (*j*) & non minus eruditi Wan-eſpen, (*k*) & Trombelli.

(*d*) Sup. *cap. 9. num.*
(*e*) In Epit. Jur. vet. *par. 1. lib. 20. tit. 18.*
(*f*) Aliqua ex innumeris promiſcuè elogiis, quibus præſtantiſſimi omnium Nationum, & Profeſſionum Scriptores ſingularia, planèque admiranda noſtri Auguſtini merita poſteritatis memoriæ commendarunt, refert eruditiſſimus D. Nicolaus Antonius *in Biblioth. Hiſp.*, qua ex ipſius Auctoris dono fruimur.
(*g*) Id, quamvis ex noſtris non eſſet, æquiſſimum eſſe agnovit ipſemet D. Nic. Anton.
(*h*) In comment. ad leg. 5. Cod. Theod. tit. *de Spectac.*
(*i*) In comment. Cod. Theod., *in leg. 2., & 5.* ejuſd. tit.
(*j*) In ſpecioſiſſimo tractatu hiſtorico-dogmatico *de feſtorum celebrat.* Gallicè primum ſcripto, & anno 1729. latinè edito a Car. Guyet, qui ſuæ *Heortologiæ*, ſeu Operi *de feſt.* eum inſeruit.
(*k*) Jur. Eccleſ. *par. 2. tit. 17. cap. 5.*

belli. (*l*) Ego in re obviter tractanda, quam tot, tantique Viri notiſſimam reddiderunt, nollem eruditionis ubertatem oſtentare. Tamen, ne nimis confidenter agere videar, aliqua, eaque potiſſima ſeligam ex his, quæ illi adducunt, teſtimoniis, ut cum ipſis hujus interdictionis proceſſum, & rationem permonſtrem, ob quam id, quod evincere adnitimur, conſtitutum eſt.

2. Primus quidem Theodoſius Magnus uno ſolis die, id eſt, Dominico (*m*) ſpectacula præberi jam iteratâ vetuerat juſſione anno 386., ne Divina veneratio confecta ludorum ſolemnitate confunderetur, vel, ut ait Gothofredus, (*n*) *at maxime votiva die Dominico compleri poſſent*. Totum aperte liquet ex hoc ipſius legis (*o*) fragmento. *Nullus Solis die populo ſpectaculum præbeat, nec Divinam venerationem confecta ſolemnitate confundat*. Ulterius paulatim proceſſum eſt. Anno quippe 389. Imperatores Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius Romæ ad ſacros dies Paſchæ, Natalis Domini, Epiphaniæ, & commemorationis Apoſtolicæ Paſſioni (*p*) eaſdem ob cauſas interdictionem protraxerunt his verbis. (*q*) *In quibus etiam prædictis ſanctiſſimis diebus nec ſpectaculorum copiam referamus*. Quod Balſamon ſic exprimit. (*r*) *Nec ſpectaculum ullum edatur. Par eſt & Dominicum diem perinde, at illos, honorari*.

3. Poſtea Patres Africani animadvertentes in Concilio Carthaginenſi V., anno, ut veriſimilior fert opinio, (*ſ*) 398. vel 399. ce-

(*l*) *De cultu Sanctor.* tom. 1. par. 2. diſſert. 6. cap. 17.
(*m*) Ut exprimitur in lege 7. Cod. *de feriis*, & monet poſt alios Gothofr. in Theod. *ad leg.* 2. ejuſd. tit.
(*n*) Sup. d. leg. 2. *de ſpect.*
(*o*) Nempe *prox. cit.*
(*p*) Aliqui putant hic præcipuos tantum feſtos Chriſtianorum dies, non vero omnes, qui tunc temporis colebantur, recenſeri. At Gothofredus contra ipſos contendit has ſolas tunc, & quidem in Oriente, fuiſſe ſacras Chriſtianorum ferias. Idque variis rationibus probare adnititur *in d. leg.* 5. C. Theod. *de Spect.* n. 2.
(*q*) Leg. *Omnes*, 7. Cod. *de feriis*.
(*r*) In lege 13. lib. 7. tit. 17. *de dieb. feriat.* ſecundum Joan. Leunclar. interpret.
(*ſ*) De hujus V. Synodi epocha graves ſunt controverſiæ. Acta quidem ipſa Synodalia in collectione Iſidori Mercatoris, Codex Africanus, & Theodorus Balſamo adnotatum habent annum *Poſt Conſulatum Fl. Stiliconis XVI. Kal. Jul.*, id eſt, an. D. 401. Quod tuetur Juſtellus *præfat. in Cod. Afric.* At Eccleſiaſticorum annalium Parens, Baronius *ann. D.* 398. *n.* 33. ex ſcripto Codice annum *Poſt Conſulatum Cæſarii, & Attici VI. Kal. Jun.* notat, id eſt, ann. 398. Gothofredus autem veriſimilia admodum affert argumenta, quibus probare videtur hanc Synodum referendam eſſe ad annum 399. Eum vide in comm. ad leg. 17. *de Pagan.* in Theod. Nec omittas Wan-eſp. p. 5. Oper., ejuſdemque partis *par.* 2. *cap.* 3. §. 6. & 7. *prope fin.*

Google

celebrato leges illas, aliaſque ſimiles in Paganos, atque Hæreticos potiſſimum latas in Africa contemni, & Carthaginenſis Diœceſis homines diebus feſtis frequentius ad circum, aut theatrum, quàm ad Eccleſias accedere, Imperatorem Honorium rogarunt, ut ſpectacula à cunctis Chriſtianorum feſtivitatibus proſcriberet. Damus canonem, (*t*) in quo id Patres ea ratione petere decreverunt. „ Necnon & illud petendum, ut ſpectacula theatrorum, „ cęterorumque ludorum die Dominica, vel cęteris Religionis „ Chriſtianæ diebus celeberrimis amoveantur; maximè quia Sancti Paſchæ Octavarum die populi ad circum magis, quàm ad Eccleſiam conveniunt &c. „ Et quanvis his, & aliis Patrum Africanorum poſtulatis (Gentilitate nondum extincta, ſed tantum ad interitum tendente) mox in omnibus aſſentire noluerit Imperator; (*u*) poſt decennium tamen, ipſis Patribus, atque inter eos D. Auguſtino, (*x*) inſtantibus, (*y*) eorum vota cumulatiſſimè implevit, piiſsima Conſtitutione (*z*) edita, qua præter alia, quæ etiam amoveri petierant Patres, Gentilitia convivia, ac ſpectacula omnino vetuit.

4. Omnes leges in rem hactenus relatas non modo Theodoſius Junior inſtauravit, ſed etiam ipſas nonnullis, quæ verſabantur, dubiis ſublatis, ampliavit plurimum in ea laudatiſſima Conſtitutione, (*&*) Chriſtiano Principe digna, quam jam (ſi bene memini) tranſcripſimus. In ea ſanè, *ut totæ Fidelium mentes Dei cultibus occuparentur*, univerſis Imperii ſubditis, etiam Gentilibus, & Judæis ſpectacula diebus feſtis interdixit. Novit nanque religioſiſſimus Imperator non minus ſpectacula per homines à Fide alienos, quam per Chriſtianos exhibita à dierum feſtorum cul-

(*t*) Can. hujus Concilii 5., & 61. inter illos, quos comprehendit illa canonum collectio, quam *Codicem canonum Eccleſiæ Africanæ* appellavit Philipp. Labbe.
(*u*) Ut patet ex *ll.* 17. & 18. Cod. Theod. tit. *de Pagan.*, quas his Patrum poſtulatis reſpondere oſtendit Gothofr. *ibid.*, cui prorſus inhæret Wan-eſp. *ubi ſup.*
(*x*) Ut conſtat ex ipſius Epiſt. 139. *ad Olymp. Magiſtr. Officior.*
(*y*) Patres Africani anno 408. 3. Id Oct. pro hac lege procuranda Legatos ad Honorium mittere decreverunt, ut ex Afric. Cod. docet Gothofr. in ipſa leg., quæ eſt 19. *de Pagan.* in Theod.
(*z*) Hac ſcilicet lege 19. emanata VIII. Kal. Dec. d. an. 408. Quod evincunt ea, quæ eruditè docent ipſi Gothofr., & Wan-eſp.
(*&*) L. 5. Cod. Theod. tit. *de ſpectac.* edita Kal. Febr. an. 425. Ad eam vide Baron., Gothofr., & Wan-eſp.

cultu Fidelium animos avertere. Legis quoque ſententiam adeo late diffundi, ſtricteque obſervari juſſit, ut nec ſui Natalis prætextu die illo, in quem incideret, ſpectaculis operam dari permiſerit. His quippe pii animi ſenſibus Conſtitutionem claudit. „ Ac ne quis exiſtimet in honorem Numinis noſtri veluti majo-
„ re quadam Imperialis officii neceſſitate compelli, & niſi Divi-
„ na religione contempta ſpectaculis operam præſtet, ſubeun-
„ dam forſitan ſibi noſtræ ſerenitatis offenſam, ſi minus circa
„ nos devotionis oſtenderit, quàm ſolebat, nemo ambigat, quòd
„ tunc maximè Manſuetudini noſtræ ab humano genere defer-
„ tur, cùm virtutibus Dei Omnipotentis, ac meritis univerſi ob-
„ ſequium Orbis impenditur, „

5. Hac lege temporis decurſu vulneratâ, aliam omnino conſonam, pœnis, & quidem graviſſimis, pro ipſius obſervantia indictis, Imperatores Leo, & Anthemius condiderunt. (a) Hæc ſunt, quæ ad noſtrum ſpectant argumentum. „Dies feſtos Ma-
„ jeſtati Altiſſimæ dicatos nullis volumus voluptatibus occupa-
„ ri.... Nihil eodem die ſibi vindicet ſcena theatralis, aut Cir-
„ cenſe certamen, aut ferarum lacrymoſa ſpectacula. Et, ſi in
„ noſtrum ortum, aut natalem celebranda ſolemnitas incide-
„ rit, differatur. Amiſſionem militiæ, proſcriptionemque
„ patrimonii ſuſtinebit, ſi quis unquam hoc die feſto ſpectacu-
„ lis intereſſe crediderit. „ Hactenus veteris Juris Cæſarei monumenta.

6. At quo ſtudio hanc in rem incubuerunt Concilia! Toletanum III. ſeneſcente ſeculo VI. celebratum (plura alia antiquiora omittere libet, quoniam his reſpondent ſeculis, quibus leges, quas retulimus, emanarunt) hæc ſtatuit. (b) „ Exterminanda
„ eſt irreligioſa conſuetudo, quam vulgus per Sanctorum ſolem-
„ nitates agere conſuevit, ut populi, qui debent officia Divi-
„ na attendere, ſaltationibus, & turpibus invigilant canticis, non
„ ſolum ſibi nocentes, ſed etiam Religioſorum officiis perſtrepen-
„ tes. Hoc etenim, ut ab omni Hiſpania depellatur, Sacerdotum,
„ & Judicum à Concilio Sancto curæ committatur. „

7. Ad

(a) Leg. fin. Cod. *de feriis*, edit. Id. Dec. an. 469. Ejus quoque meminit P. Paul. Segner. in ſuo Chriſt. inſtr. d. diſc. 31.
(b) Cap. 23. p. 711. tom. 6. Concilior.

7. Ad hæc; exeunte ſeculo VII. Patres VI. Synodi Oecumenicæ eadem moti ratione, ita ſunt elocuti. (c) „A feſto Reſurrectionis Domini ad Dominicam novam per totam hebdomadam (d) in Eccleſiis vacare oportet Fideles inceſſanter in Pſalmis, & Hymnis, & canticis ſpiritualibus exultantes in Chriſto... Non igitur his diebus Hypodromia, aut alia publica ſpectacula fiant.„ Et hæc de jure veteri retuliſſe ſit ſatis. Plura in ima margine indico, (e) ut, ſi quis plura adhuc videre cupiat, id facili negotio poſſit aſſequi. Nunc verò, ne quis putet poſterioribus ſeculis hanc exoleviſſe diſciplinam, noviſſima jura antiquis omnino conſona audire non pigeat.

8. Adducere huc poſſem innumeros propemodum canones Synodorum poſt Tridentinam coactarum, ſi mihi animus eſſet omnia perſequi, quæ pro ſpectaculis à diebus feſtis evellendis conſtituta ſunt. Verum ad id, quod probare intendimus, oſtendendum, ſat equidem nobis erit unum, vel alterum ex diverſarum Nationum decretis memorare.

9. Porro Eccleſiæ Gallicanæ Conventus plura ad normam veterum decretorum ſtabilierunt. Synodus Remenſis (ut alias à Thomaſſino (f) traditas prætermittam) anno Domini 1585. celebrata ſic ludos omnes, theatrales potiſſimum, iiſdem feſtis diebus execratur, & damnat. (g) „Ludos theatrales, etiam prætextu conſuetudinis exhiberi ſolitos, & puerilia, cæteraque ludicra, quibus Eccleſiæ inquinatur honeſtas, & ſanctitas in Chriſti, & Sanctorum ſolemnitatibus omnino prohibemus.„ Quæ quidem anno præcedenti minutius explicuerat Bituricenſis Synodus inquiens.

(b)

(c) Can. 66. inter Trullanos.

(d) Paſchale feſtum per dies octo continuos, ut feſtos, à populo celebrari antiqua fuit Eccleſiæ tam Occidentalis, quam Orientalis conſuetudo, ſed eam relaxavit Synodus Conſtantienſis. Illius tamen diſciplinæ veſtigium manſit pluribus enim, qui viget, ritum recitandi Paſchalis diei officium, omnibus aliis feſtis intermiſſis, per totam ipſam hebdomadam Paſchalem. Van-eſp. p. 5. Jur. Eccleſ., Tract. hiſtor. Canon. p. 3. cap. 3. §. 7. ad ipſum canonem Synodi Quini-Sextæ.

(e) Concilium Carthag. IV. can. 88. qui habetur in can. Qui die, diſt. 1. de Conſecrat. Syn. Rom. ſub Eugenio II., & Leone IV. c. 35. Cabilon. can. 19. anno 650. celebrat. tom. 7. Concilior. p. 399., Turonenſ. ann. 813. c. 38. & 30. tom. 9. Concilior. p. 354. & ſeq. Et Nicol. I. ad Conſult. Bulgaror. cap. 11.

(f) Ubi ſup. lib. 3. cap. 1.

(g) Sub tit. de dieb. feſt.

(h) „ Prohibetur populus profana ſodalitia, & commeſſationes, „ choreas, tripudia, larvas, & theatrales ludos iiſdem diebus feſtis exercere &c. „ Et bis Chriſtianiſſimi Regis congruere Sanctiones teſtatur ipſe Thomaſſinus (i).

10. In Flandria, Brabantia, aliiſque Provinciis Belgicis videntes Epiſcopi proximo elapſo ſeculo feſta ludis, & maximè tripudiis profanari, hoc malum omnibus modis, etiam invocato brachio ſeculari, exterminandum cenſuerunt. Egregie id præſtitit Synodus Tornacenſis anno 1677. hoc, quod exſcribimus, decreto. (j) „ Pluribus conquerentibus .... de publicis choreis, „ tripudiis; aliiſque ejuſmodo, quibus cum magno Eccleſiæ ludibrio, & pietatis detrimento operam dant populi diebus Do„ minicis, & feſtivis .... adeantur ſeculares etiam Magiſtratus, „ ipſaque ſupremi hujus Civitatis Concilii Curia .... ut tantum „ ſcandalum tandem compeſcatur. „ Impenſe pro hoc ipſo aſſequendo allaborarunt Synodi, & Præſules Gandeſes, Antuerpienſes, Namurcenſes, & Mechlinenſes, ut patet ex his, quæ lato calamo refert Wan-eſpen, (k) qui etiam adducit varia noſtri Catholici, ac piiſſimi Caroli II. Diplomata pro eadem re ad illorum inſtantiam promulgata.

11. Italicorum Præſulum, & Conciliorum monita ad rem eandem ſpectantia perlegens, totus rapior ad decretum illud, quod S. Carolus Borromæus in III. Mediolanenſi Synodo (l) edixit, & Actis ipſius Eccleſiæ inſeritur. Is præſtantiſſimus Præſul, poſtquam, de ludis, & ſpectaculis loquens, dixerat. „ His tot offenſionum „ & peccatorum ſeminariis locum dari, iis præſertim diebus, qui „ dies propitiationis ſunt; & iis ipſis diebus fideles plerosque „ nefariis iſtis Satanæ blanditiis illectos, à Divinis Officiis, religioſis ſupplicationibus, lectionibus ſacris abduci, avertique rudes „ à percipiendis Fidei rudimentis, alioſque ab aliis Chriſtianæ „ pietatis officiis, in quibus eo tempore incumbendum eſt, abſtrahi, & amoveri. „ hæc ſubdit. „ Saltem horis, quibus Di-

„ vina

(h) Tit. 6. cap. 4. 6.
(i) Ubi prox. *n.* 10. & 11.
(j) Artic. 6.
(k) Par. 2. *Jur. Eccleſ.* tit. 17. cap. 5. *à num.* 20.
(l) Tom. 21. Concilior. *p.* 137., & 139. Videnda quoque ea, quæ ſanxit in Concilio I. *par.* 2. *conſtit.* 50. eod. tom. Concilior. *p.* 57.

„ vina celebrantur officia, interdicimus, ne ſaltationes, tripudia, „ choreæ ducantur, aut fiant. Ne item comœdiæ, ludi ſcenici, „ vel theatrales, haſtiludia, & alia cujuſvis generis ſpectacula a„ gantur &c. „

12. Tanto quoque ſtudio huic rei operam navarunt recentiores Hiſpaniæ Epiſcopi, ut veterum pietatem, & vigilantiam quodam modo ſuperaſſe videantur. Ex plurimis aliis, quæ eruditiſſimus Cardinalis de Aguirre congerit, (*m*) illud decretum tranſcribam, quod Patres Toletani ſtabilierunt (*n*) anno 1565. Cum itaque in antecedenti paragrapho de prævia Ordinarii approbatione, edi permiſerint innoxios, pioſque ludos illos, & choreas, quas feſtis etiam diebus in Sanctorum honorem, & maximè in proceſſionibus Hiſpani præſertim ducere conſuevere; hoc monitum ſubjungunt. „ Caveant tamen Epiſcopi, & eorum Vicarii, „ ne, dum ſolemnitatis Divinæ cauſa ludos aliquot, & ſpectacu„ la edi publicè permittere velint, ea permittant, quæ vel in mi„ nimo Chriſtianam religionem offendere, vel ſpectantium ani„ mos in pravos mores quoquo modo inducere valeant; ne eo „ tempore, & loco, quibus eſt venia peccatorum à Deo poſtulan„ da, vel peccandi detur occaſio . . . Decernit etenim S. Synodus „ non alios ludos, non alia ſpectacula permittenda ab Epiſcopis „ fore, quàm quæ ad pietatem ſpectantium animos movere, & „ à pravis moribus deterrere poſſint. „ Nunquid ſunt talia, quæ nos impetimus? His tandem omnibus adjungo memoratas Pii V., & Gregorii XIII. Conſtitutiones, (*o*) in quibus expreſſiſſimè jubetur, ne tauri diebus feſtis agitentur.

13. Oſtendunt igitur hæc omnia per ſingulas decurrentium ſeculorum ætates Eccleſiaſtico, & civili Jure vetitum eſſe, publicos potiſſimùm ludos diebus feſtis exhiberi, quia illi ita ſancto adverſantur tempori ut, Fideles a Religionis actibus avertentes, Divinum cultum, & opera pietatis impediant. Has ſcilicet cauſas ſufficientiſſimas æſtimavit Eccleſia, ut ſpectacula diebus feſtis interdiceret. Ipſæ quoque videntur eſſe, quas pro ſpectaculis Jubilæi

(*m*) In ſua Collect. maxima Concilior. omn. Hiſpan.
(*n*) Actione 6. cap. 11. §. 40. ap. eruditiſſimum. Cardin. de Aguirre *tom.* 4. *pag. mihi* 44.
(*o*) Citatas ſup. §. 2. *cap.* 6.

læi tempore ablegandis militare probavimus. Cur igitur æquum non erit, ut eadem ſit juris diſpoſitio, ubi eadem eſt, imo major aliquomodo ratio?

14. Amoveantur itaque Jubilæi tempore ſpectacula, Sanctiſſime Pater, religioſiſſimi Principes, vigilantiſſimi Præſules; Amoveantur, obſecro, ut tunc „ non mundanè, ſed ſupramundanè „ non noſtra, ſed noſtri, vel (rectiùs loquar) Domini; non quæ „ infirmitatis ſunt, ſed quæ curationis... celebremus. „ (p) Id porro feliciter aſſequemur. „ Si (*ut Nazianzenus ipſe monet*) (q) nec choros agitemus, nec vicos ornemus, nec oculum paſcamus, nec aurem cantu mulceamus, nec olfatum muliebriter deliniemus. „

CAPUT XII.

Ad id ipſum, quod agimus, comprobandam aliud efficacias argemus argumentum, paritate à ſancta Quadrugeſimæ diebus deſumpta, in quibus etiam propter ipſorum ſanctitatem, & ne Fideles à pœnitentia, & pietatis exercitationibus avertantur, ſpectacula, aliaſque publicas voluptates vetari oſtendimus.

1. NOn minora ſunt, imo validiora videntur argumenta, quæ ludos publicos à ſanctis Quadrageſimæ diebus ablegant, quàm ea, quæ eoſdem à feſtivitatibus ſecludunt. Porro jejunii dies, cùm mœſtitiæ, & pœnitentiæ ſint tempora, ita afflictionem exigunt, ut non ſolum abſtinentiam à cibis, ſed etiam ab omnibus ſenſuum lenociniis, & oblectamentis efflagitent. Si Patres conſulimus, Hieronymum audimus dicentem: (r) *Jejunium eſt non ſolam ab eſcis, ſed à cunctis illecebris abſtinere.* His addit Auguſtinus, (ſ) quòd *ſacra Scriptura docet generale jejunium non à concupiſcentia ciborum tantùm, ſed ab omni lætitia temporalium delectationum.* Quænam autem illecebræ, quænam tem-

H po-

(p) D. Greg. Nazianz. *tom.* 1. *pag.* 614.
(q) Orat. 4. *propè fin.*
(r) *In Matth.* cap. 7.
(ſ) Quæſtionum Evangelicar. *lib.* 2. *quæſt.* 28.

porales lætitiæ delectationes, niſi publica, quæ impetimus, ſpectacula? Eſt igitur ab his Quadrageſimalis jejunii tempore vacandum. *Quæ enim* (ut opportuno utar Chryſoſtomi (t) ratiocinio) *utilitas jejunii dic, obſecro, ſi tota die impaſtus perdures, ludis autem, & nugis* .... (in theatro) *occupatus diem perdas?* „ Quid enim „ prodeſt (ait D. Cæſarius, (u) Epiſcopus Arelatenſis) jeju„ nare viſceribus, & luxuriare venationibus; abſtinere cibis, „ errare peccatis, caſtigare corpus inedia, mentem exercere ne„ quitia; vinum forte non bibere, & ebrium cogitatione mali„ gnitatis incedere?... „ Conatur *hic* S. Epiſcopus Fideles jejunii tempore à venationis ſpectaculo, noſtris procul dubio honeſtiori, avertere; & poſtquam venatoris ſtudium jejunio, & afflictioni diſſentaneum prorſus oſtendit, hæc promit. „ In his er„ go luxuriis, Fratres, dicite quis cultus ſit Dei? quæ mentis „ poſſit eſſe devotio: qui propterea jejunat, non ut Deo, & ora„ tionibus vacet, ſed ut tota die otioſus, & liber proprias exer„ ceat voluptates? „ Idcirco concludit iſtum, etſi cibis abſtinentem, neutiquam jejunii meritum adquiſiſſe. „ Quanvis igitur, „ (*inquit*) qui ejuſmodi es, Frater, veſpere ad domum redeas; „ quanvis declinante jam ſole manduces; potes videri tardiùs te „ refeciſſe, non tamen Domino jejunaſſe: non enim potes vide„ ri, voluptatem tuam exercens, feciſſe Domini voluntatem. „ Propterea tandem hæc ipſe monet: „ Tota die (*jejunii*) ſit no„ bis vel oratio, vel lectio. Qui literas neſcit, ſcientem virum „ perquirens, ejus confabulatione paſcatur: Nulli actus ſeculi „ actus divinitatis impediant: Non ludus tabulæ mentem avo„ cet; non voluptas canum ſenſus abducat; non negotii com„ pendium animam aviditate pervertat. „

2. Ipſis jam antea rationibus commotus Nazianzenus Celenſium Præſidem reprehendit eò quia jejunii tempore ſpectacula exhiberi permiſerat. (x) Eiſdem Chryſoſtomus concitatus vehementer

(t) Hom. 6. *in cap.* 1. *Geneſ.* in fin.; ubi expreſsè loquitur de ſpectaculis in diebus Quadrageſimæ fugiendis.

(u) In ſermone, cui titulus eſt, *In tempore jejunii non luxuriandum eſſe*; olim inter ſermones D. Ambroſii, vel alterius Scriptoris, cui tribuendos putes ſermones illos, qui Ambroſii nomine ferebantur, recenſito. Et eſt inter eos 33.

(x) Epiſt. 74., aliis 71.

ter populum increpavit, quòd Quadrageſimæ diebus ad circenſia certamina ſeſe contuliſſet. Verba audire non pigeat, quibus ob id Chryſoſtomus erumpit, & Fideles graviter objurgat. (y) „ Hoc „ .... eſt (*inquit*) quod potiſſimum me contriſtat, & bilem „ mihi movet, quod cum noſtra admonitione reverentiam etiam, „ quam ſacræ Quadrageſimæ debetis, ex animo veſtro ſimul ejeciſtis, voſque ſic Diaboli retibus involviſtis. Quomodo quis „ queat, etiam cui ſaxeum cor, tantum contemptum non gravatim ferre?... Nam, quia (Diabolus) navem veſtram multis „ ſpiritualibus divitiis oneratam, & vidit grandem theſaurum, „ quem ex jejuniis ... colligere potuiſſetis, quaſi tempeſtate quapiam immiſsâ, (innutile, & pernicioſum illud equeſtre certamen dico) omnibus vos divitiis ſpoliavit. „

3. Uberrimè quidem hoc proſequi poſſem argumenti genus, ſi alia plurima, quæ oculis ſubjiciuntur, SS. Patrum teſtimonia proferrem. Verum, animo ad metam feſtinante, hæc, quæ attulimus, ſufficere puto, ut omnibus innoteſcat ſanctis Quadrageſimæ diebus Fideles ab ſpectaculis arceri, quia tempori pœnitentiæ, & Religionis operibus dicato ita oblectamenta, illecebroſa potiſſimum, adverſantur, ut non modo devotionem impediant, ſed etiam meritum, piis alioqui exercitationibus adquirendum, imminuant. Veruntamen ſi Conſtitutiones Eccleſiaſticas id ipſum confirmantes deſideras, infinitam propemodum harum copiam miniſtrabit, ſi vis, ipſe noſter Antonius Auguſtinus, (z) *qui Eccleſiaſticæ eruditionis ſplendore univerſum Orbem illuſtravit*. (&)

4. Nonne relatis SS. Patrum monitis maximè conſentiunt ea, quæ ipſe eruditiſſimus Vir ex Theodulphi Capitulari, atque ex reſponſis Nicolai I. ad conſultationes Bulgarorum adducit? Sanè Theodulphus modum, quo Quadrageſima ſit à Chriſtianis tranſigenda monens, poſtquam hebdomada una ante ejus initium, jux-

(y) Prædic. Homil. 6. in princ.
(z) In Epit. *lib*. 21. fere per tot.; & præcipuè *tit*. 8. 10. 14. & 16.
(&) Hoc eum encomio decoravit N. SS. P. Benedictus XIV. in Epiſtola æterno noſtri Collegii honori data die 20. Januarii 1748.; Qua ipſe SS. P. noſtrum digniſſimum Collegam, Doctorem D. Michaelem de Montes Archiepiſcopo Compoſtellano commendare dignatus eſt, ut ille ad tunc vacantem Sacræ Scripturæ Canonicatum eligeretur; uti electus fuit, Illuſtriſſimis illius Eccleſiæ Præſule, & Capitulo Pontificiis Literis obſequentibus.

ta tunc vigentem Eccleſiæ diſciplinam, pœnitentiam accipi, diſcordantes reconciliari, ad jejunium diſponi, & omnia jurgia ſedari jubet, hæc ait. (*a*) *Abſtinentia in his* (jejuniorum) *diebus omnium deliciarum eſſe debet, & ſobrie, & caſtè vivendum.*

5. Expreſſiora vero ſunt verba, quibus per idem ferè tempus, ſeculo videlicet IX., Nicolaus I. Bulgaris nuper fidem amplexis Moralis, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ regulas præſcribit. Ipſos ad aſſidua virtutis exercitia, & ad omnimodam abſtinentiam à mundanis rebus in Quadrageſima potiſſimum ſervandam adhortans, rationem indicaturus ait. (*b*) „ Si enim... alio forte, mundo „ corpore, tempore vacatur orationi, quanto potius iſto, quo „ Deo etiam carnis noſtræ decimas damus, quo ipſum in abſti„ nentia Dominum imitamur, quo non ſolum illicita, verum „ etiam multa à nobis quoque licita reſecamus, omni eſt volu„ ptati renuntiandum, & ut licenter orationi vacetur, caſtitati „ mentis, & corporis incumbendum? „ Hinc, eandem generaliſſimam cauſam inculcans, à venationibus etiam animum eo tempore avocandum eſſe decernit: „ Quanto enim (*inquit*) di„ vinis cultibus eſt arctius inſiſtendum jejunii tempore, tanto eſt à „ cunctis Mundi nocivis oblectamentis longius recedendum, præ„ ſertim cùm neminem niſi reproborum venationes exercuiſſe ſa„ cta deſignet hiſtoria.„ Docet tandem tunc pariter à jocis, nedum à publicis ludis abſtinendum. (*c*) „ Non enim (*inquit*) lamen„ ta cum jocis conveniunt, & fallax, ac deceptrix lætitia vera„ ces lacrymas producere neſcit. „

6. Hæ ipſæ ſunt cauſæ, ob quas D. Thomam ſpectacula etiam modeſtiſſima à ſancto pœnitentiæ tempore amandare novimus. Ob ipſas Quadrageſimalibus diebus etiam nuptiarum celebrationem interdicit Eccleſia. (*d*) Nec abſimiles tibi videbuntur illæ, ob quas Synodus Mediolanenſis. V, (*e*) ſeculo XVI. celebrata, Epiſcopum admonet, ſedulam navaturum operam non modo ut Quadrageſimæ, verum etiam ut Septuageſimæ, aliiſque intercurrentibus hebdomadis Fideles publica deſerant ſpectacula.

(*a*) Cap. 9.
(*b*) Cap. 44.
(*c*) C p. 47.
(*d*) Concil. Laodicæn. *cap.* 52.
(*e*) In Act. Eccleſiæ Mediolan.

la. Plurimi noſtra intereſt ipſius decreti verba tranſcribere: En illa: „ Studeat Epiſcopus, ut quo tempore in Septuageſimæ, „ Sexageſimæ, & Quinquageſimæ hebdomadis Eccleſia Mater & „ Officiorum ritu, & hymnis, canticiſque Fidelium mentes ad „ mœſtitiam, atque ad pœnitentiam excitantibus, & omni deni- „ que tum veſtimentorum, tum aliarum rerum apparatu popu- „ lum Dei inſtruit, ac præparat tot ante diebus ad recolendam „ Chriſti D. Paſſionem, & Crucem, eo potiſſimum tempore „ Fideles ſibi in curam traditos, ſpectacula, ludos ſcenicos, & „ alia, quæ Gentilitatis ſpeciem præſeferunt, tunc præſertim „ morum corruptelis introducta, illa ipſa tanquam a ſanctiſſi- „ mis Eccleſiæ inſtitutis abhorrentia omnino fugientes ad pieta- „ tis Chriſtianæ ſtudia, & ad orationem attentiores ſint, propoſi- „ ta omni Chriſtianarum actionum exercitatione. „

7. Eiſdem quoque rationibus innititur doctiſſimus Menochius, (*f*) ut ea refellat argumenta, quibus Nevizanus miſerè conatur oſtendere (*g*) licitum, honeſtum, & maximè conveniens eſſe, ut Epiſcopi larvas, & choreas ultra mediam carniſprivii noctem ducere permittant. Expendit ipſas eruditiſſimus Boſſuet (*h*) ut eum, quem impugnat, acriter redarguat Auctorem, qui etiam in Quadrageſima Comœdias agi poſſe contendit.

8. Quæ cum ita ſint, quis Moralis Chriſtianæ, atque Eccleſiaſticæ Diſciplinæ regulis admodum conſentaneum non putet eiſdem quoque de causis Jubilæi tempore publica ſaltem ſpectacula interdici? Lateine aliquem tempus iſtud eſſe verè ſanctum, imò ſanctiſſimum; tempus ſpiritualis quietis, pœnitentiæ, orationis, & omnimodæ abſtinentiæ? Ignoratne aliquis tempus iſtud in aliorum temporum purificationem inſtitui? Ambigitne quiſpiam totum eſſe in pietatis exercitationibus impendendum? Recolat, quæ attulimus, Pontificum Diplomata: Audiat Concionatores Apoſtolicos: Cernat Peregrinorum, & populi, in quo Jubilæum agitur, exercitia: Conſideret Eccleſiæ ritus, actuſque, quibus tam ſancto tempore Fideles ad pietatem, & vitæ emendationem excitat; & illico agnoſcet tempus iſtud ipſius Quadrage-

 ſimæ

(*f*) *De arbitr. Judic.* lib. 2. in addition. *ad d. caſ.* 69, *a n.* 60.
(*g*) Lib. 4. *Silva nuptial.* à n. 60.
(*h*) In libello *ſup. Comad.* cap. 27. 28. & 29.

ſimæ ſanctitatem exæquare. Quis igitur eo tempore exhiberi ſinat ſpectacula, quæ prorſus à pietate, & Eccleſiæ inſtituto abhorrent? quæ carnales fovent voluptates? quæ anteacta tempora inquinarunt? quæ devotionem imminuunt, & opera virtutis impediunt? Quomodo in theatro otiaberis, & ſimul pœnitentiam ages? Quomodo fieri poterit, ut orationis, & pœnitentiæ tempore per plateas inter populorum ſtrepitus agas licitè, quod vix alio tempore poteris excuſare? Quomodo vitam emendabis eiſdem intentus illecebris, quibus fuiſti fortaſſe quondam illaqueatus? Quæ utilitas Jubilæi, vel peregrinationis, dic, obſecro, ſi Romam petens, & ibi, vel alibi conditiones pro illo promerendo adimplens, hiſtrionicis ludis, & nugamentis intendas? Num quæ in Quadrageſima ſanctitati, pœnitentiæ, & pietatis operibus ſunt contraria, fient Jubilæi tempore conformia? Num quæ in Quadrageſima ad vitæ honeſtatem, morumque emendationem requiruntur, ad eandem jubilæi tempore aſſequendam neceſſaria non ſunt? An ſpectacula, quæ unum tempus corrumperent, aliud ſanctificarent? Porro ſi hæc nobis ſuadere nequis, (uti certè non potes) rationes illæ: *Tempore, quo carnis noſtræ decimas damus, omni eſt voluptati renuntiandum: Quanto Divinis cultibus eſt arctius inſiſtendum, tanto eſt à cunctis Mundi nocivis oblectamentis longius recedendum*, & aliæ fere omnes, quibus SS. Patres, Nicolaum Pontificem, Præſules, & Viros præclariſſimos Fideles Quadrageſimæ tempore ab ſpectaculis, aliiſque voluptatibus abducere ſtuduiſſe novimus, eâ, qua latè patent, univerſalitate, & amplitudine non minus, quàm ſacræ Quadrageſimæ dies, ſanctum Jubilæi tempus merito comprehendere arbitramur. Obſecuti profecto ſunt ipſis quotquot Summi Pontifices pro anno Sancto devotiùs celebrando noſtra præcipuè ſpectacula proſcripſerunt. Huic certè Quadrageſimæ diſciplinæ intentus fuiſſe videtur Clemens VIII., qui anno Sancto non modo Bacchanalium ludos, & ſpectacula vetuit, verum etiam, contracto inter Ranutium Parmæ, & Placentiæ Ducem, ac Margharitam Proneptem ſuam matrimonio, pompam in Principum præcipuè nuptiis adhiberi ſolitam prætermitti curavit. (*i*) Sancto igitur Jubilæi tempore

(*i*) P. Theod. a Spir. S. *de Jubil.* cap. 2. n. 52.

pore *cohibeat ſe à ludis, & ſpectaculis ſeculi, qui perfectam vult conſequi gratiam remiſſionis*. (*j*) Imò & qui eam conſequi negligunt; ne aliis nocumentum inferant. Et quoniam permulti ſunt, qui ab injuſto, & inhoneſto abſtinendum eſſe non putant, dum id aliquomodo permittitur, expreſſiſſimis edictionibus ad ſpectacula Jubilæi tempore intermittenda compellantur.

CAPUT XIII.

Argumento à conſueta Indulgentiarum ſuſpenſione deducto amplius confirmamus, anno Sancto durante, Bacchanalium ludos, & ſpectacula à quibuſcunque Catholicorum locis amovenda fore.

1. NOrunt omnes primum Sixtum IV., ac deinde ſingulos Romanos Pontifices, qui Jubilæum Univerſale celebrarunt, Indulgentias, & Facultates ab Apoſtolicæ Sedis liberalitate alias emanatas vel in eiſdem Jubilæi indictionis literis, vel in aliis peculiaribus ita annis Sanctis ſuſpendere conſueviſſe, ut his vertentibus, nullas hujuſmodi Facultates, aut Indulgentias, præſertim plenarias, præter ipſas Jubilæi, aut ſpecialiter reſervatas, uſlibi proponi, aut interim vivorum alicui ſuffragari voluerint. Compertiſſimum eſt etiam unicum motivum, & finem hujus generalis ſuſpenſionis edicendæ ſemper fuiſſe, ne Fideles ab Indulgentiis in propriis Regionibus comparandis illecti uberiores Jubilæi, & injunctæ peregrinationis fructus omitterent, & ſic Peregrinorum concurſu Romæ decreſcente, anni Sancti celebritas intermitteretur. (*k*) Hanc cauſam rationabilem, & legitimam eſſe neminem dubitare poſſe arbitramur, cum & juris auctoritate, (*l*) & totius Reipublicæ Chriſtianæ conſenſu probatam

 eſſe

(*j*) Auctor libri *de vera & falſa pænit.* olim D. Auguſtini nomine evulgati, *cap. 15. in fin.*

(*k*) Circa hæc omnia ante alios videndus N. SS. P. Benedictus XIV. in Epiſtola Encyclica ad Pœnitentiar. minor. pro hoc anno Jubil., in cujus 2. §. ea, qua pollet, eruditione, & doctrina hujus ſuſpenſionis cauſas, atque hiſtoriam refert, & dubia hactenus ab AA. exagitata diſcretiſſimè reſolvit. Eam invenies ap. P. Theodor. in Append. ad d. tract. *de Jubilæo*.

(*l*) In Extrav. *Quemadmodum*, *de pænit.*, inter comm.

eſſe noverimus. Juſtiſſimam itaque, & convenientiſſimam eſſe oportet Facultatum, & Indulgentiarum ſuſpenſionem, quæ recurrentibus Jubilæi annis edicitur. Fateris utique. Libentius igitur, ut puto, fateberis ad eundem finem Jubilæi annis aſſequendum convenientiſſimum, & neceſſarium prorſus eſſe ſpectacula, de quibus agimus, intermitti. Quidni, cum tibi oſtenderim, planeque reapſe innotuerit nihil Jubilæi celebritati tantum, quantum ludi publici, & ſpectacula obſiſtere? Anceps ne, & dubius adhuc hæres? Premit quidem illatio; at ludionum amore detineris, quominus illi ſtatim obſequaris. At quanvis eam, his blanditurus, neges, minimè defficiam. Haud enim inermem deprehendis, quem confidentem audis.

2. Vires ſuppetunt, ut argumentum intorqueam. Urgebo illud, & mox (ni fallar) annues. Ut vero rem paucis conficias, ad hunc modum diſputo. Indulgentiæ, quæ non minus ſanctæ, atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ congruæ, quàm utiles, & laudabiles ſunt, non alia de cauſa convenienter anno Sancto ſuſpendi agnoſcis, niſi quia alias Chriſtifideles illis facile contenti, nimius de Jubilæo ſuperlucrando cogitarent, & ex contrario ipſos illis privatos magis Jubilæi ſtudio excitandos eſſe ſimillimum veri cenſes. Cur autem id ipſum potius de ſpectaculis non dicas? Num aerem perculi, dum oſtenſurus *m*) ea impedimento eſſe, quominus Fideles anno Sancto peregrinationem inſtituant, allaboravi? Porrò non ſum ita hebes, & elinguis, ut quę notiſſima ſunt, evincere nequiverim. Illud profecto permonſtravi. Si vero immemor es eorum, quæ in argumentum protuli, ea recole, & diſperéam, ni Indulgentiarum, ac ſpectaculorum vim ſaltem, ad peregrinationes anno Sancto imminuendas, exæques. Imo ſi vel brevi tempore animum ad ea advertetis, candidèque nobiſcum agere velis, fateri cogeris illicò, plures à ſacris peregrinationibus avertere ſpectacula, quam Indulgentiæ cunctæ ſubducerent.

3. Id profecto patet: Cum enim ſpectacula frequentia nimis, & mollia, ideoque ad homines à pœnitentia amovendos longe validiora ſint, plures quam Indulgentiæ detinebunt. Pone in quovis populo ludos ſimul, & Indulgentias. Certè tot ad iſtas comparandas, quot ad illos conſpiciendos non confluent. Ad hæc,

(*m*) Par. 2. cap. 10.

hæc; ex illis, qui patriis potirentur Indulgentiis, non pauci peregrinationem poſt eas inſtituere non detrectarent. Imo cum ipſarum Indulgentiarum diſpoſitione promptiores redderentur ad majora pietatis opera obeunda, quàm ii, qui mundanis voluptatibus irretiuntur, haud vanè ſperari poſſet, ut eorum plurimi peregrinationis meritum adquirendi ſtudio, Religioniſque trophea intuendi deſiderio, ſancto potiſſimum anno excitato, accenderentur. Neque enim unum eſſe putamus Jubilæum, quod Fideles eo tempore ad Urbem allicit. Multos quidem ad eam tunc potiſſimum trahit inſita devotio, & maximum erga Apoſtolicam Sedem obſequium. Permultos Præſulum hortationes, amicorum exempla, & aliquando Confeſſorum monita. Innumeros autem ſanctum peregrinandi votum, & Apoſtolorum Lipſana, ac corpora inviſendi, & oſculandi deſiderium adducit.

4. Hæc ſane validiſſima pietatis incitamenta, etiam abſque Jubilæi ſtimulo ad Romanum iter arripiendum Chryſoſtomum pungebant. (*n*) Ipſa Carolum Magnum (*o*) Paulinum Nolanum, (*p*) alioſque innumeros pietate, ac ſcientia ſpectatiſſimos Viros (*q*) ad Urbem illexerunt. Cur ſancto igitur Anno, Jubilæi celebritate ſtimulos addente, plurimi ad eandem peregrinationem inſtituendam his ipſis devotionis igniculis non excitarentur, quanvis in Patria plenarias aſſequerentur Indulgentias? Nonne Angli, ſtatim ac fidei ſacramenta ſuſceperant, nullo fortaſſe alliciente Indulgentiarum præmio, peregrinationi ſeſe committebant? Audi Marcellinum Presbyterum, à quo S. Suverti geſta deſcripta accepimus. „ Eodem tempore tanta erat devotio hominum Anglige„ narum, poſtquam tota Inſula Fidei Sacramentis erat inbuta, „ ut non ſolum nobiles, ignobiles, clerici, laici; verum etiam „ Re-

(*n*) S. Joannes Chryſoſtomus Romam adeundi deſiderio æſtuabat ob ſola Apoſtolorum monumenta inviſenda, ipſorumque corpora adoranda; ut ipſemet teſtatur *Hom. 32. in Epiſt. ad Rom.*, *& Hom. 8. in Epiſt. ad Eph.*; ubi *n. 2.* ſe adjurum ſcribit, niſi Eccleſiaſticis curis, & corporis ægritudine detineretur.

(*o*) Carolus M. intra annos 47. quater Romam ad vota perſolvenda, & orandum profectus eſt. Eginard. ap. N. SS. P. in Epiſt. Encycl. *de praparat. ad Ann. Jubil.*

(*p*) Paulin. Nolanum quotannis Romam trahebant ſacræ Apoſtolorum, & Martyrum memoriæ; ut ipſe teſtatus eſt in Epiſt. *ad Sever.* olim 13. in ordine, nunc in nova edit. 17. *n. 2.*

(*q*) Eos recenſet Gretſer. tom. 4. novæ Oper. edit. lib. 2. de ſacr. peregrin. ex cap. 12. Abbas Trombelli de cultu SS. tomi 1. p. 2. cap. 46., & ſeq. diſſert. 6.

„ Reges, & filii Regum de gente Anglorum, ſpretis Regnis, & „ deliciis Mundi, eligerent ex maxima devotione ad tempus pe- „ regrinari. (r) Pietas pietatem excitabat, ſicut *abyſſus abyſſum* „ *invocat*. (s)

5. Quis vero inter eos, qui tunc publicis ludis, & effœminatis ſeſe addixerint oblectamentis, hæc ultro deſeret, & ſanctam peregrinationem ſuſcipiet? Quos ex illis à theatro, vel à Bacchanalium ſtrepitu ſola peregrinandi devotio revocabit? Jam antea dixeram. Quos Omnipotentis dextera, tanquam in procelloſo mari demerſos abducere voluerit. Quot autem erunt iſti? Tibi, eos annumerare, licet. Scio etenim quod, niſi Deum nimis benignum, & miſericordem velis cum iis, qui Mundo dediti, nec Dei quidem meminere, non tot produces, quot eſſent illi, qui poſt patrias Indulgentias quæſitas ad Jubileum maximum properarent. Quid nunc dices? Num minus impedimentum removendum, & majus diſſimulandum eſſe decernes? Publicas ſeculi voluptates anno Sancto perſtrepere, & ſolas Indulgentias æquiſſimè ubique ſupprimi pronuntiabis? Abſit ut tantam à Catholico viro audiam inſipientiam.

6. Non minus itaque, imo plus, ad plauſibiliorem Jubilæi celebritatem conferret ſpectacula anno Sancto per univerſum Orbem Chriſtianum interdici, quam eas, quæ extra Romam comparari poſſent, Indulgentias ſuſpendi. Amoveantur tum igitur ſpectacula, vel aliæ non revocentur Indulgentiæ. Æquiori ferendum eſt animo ob iſtas, quam ob illa Jubilæum, & peregrinationes intermitti.

CAPUT XIV.

Pauca quædam adducimus argumenta, quibus adverſarios ea, quæ hactenus diximus, impetituros eſſe ſuſpicamur.

1. NOn eſt apud me dubium, quin opuſculum iſtud, quo publicas, uſitatioreſque voluptates aliquomodo impetimus, quam gratum futurum eſt piis, religioſiſque viris, tantum etiam futu-

(r) Vitæ S. Suverti *cap.* 4. Apud Surium 1. *Martii*, *pag.* 9.
(s) Pſal. 41. v. 8.

futurum ſit ludionibus, atque eorum amore captis inviſum. Idcirco, etſi tanti ponderis (ni mea me fallat opinio) videantur ea, quæ hactenus dicta ſunt, ut ipſis facile contentus, finem operi imponere poſſem. „Tamen quoniam (*impudentia jam olim Cypriano nota adhuc obfremente*) non deſunt vitiorum aſſertores blan-
„ di, & indulgentes patroni, qui præſtant vitiis auctoritatem,...
„ & eò uſque enervatus eſt Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor,...ut
„ jam non vitiis excuſatio, ſed auctoritas detur, placuit vos nunc,
„ non inſtruere, ſed inſtructos admonere, ne quia male ſunt
„ vincta vulnera, ſanitatis obductæ perrumpant cicatricem.„ (t)

2. Quanquam itaque in quæſtione à nemine, quem ſciam, prætractata neque objectiones jam actas, & diſcuſſas ſeligere, ac expendere poſſim, nonnullas tamen, quas fortaſſe ab ipſis mollibus voluptatum patronis audivi, & ne apertius aſſeras, vereor, hic indicare libet, ut eas in ſubſequenti Capite retundam. At quoniam haud minus, quam Cyprianum ipſum, (u) *pudor me tenet præſcriptiones eorum in hac cauſa, & patrocinia referre*, in his unicè conſiſtam, quæ peculiarem operam, atque animadverſionem efflagitant: Alias vero obganientis vulgi objectiunculas, & garrulitates lubens ipſe deſpiciam.

3. Inſurgunt igitur adverſarii; & quoniam fere nulla poſitiva, ut arbitror, habent argumenta, quibus noſtram piiſſimam impetant opinionem, ad ea revincenda, & enervanda ſe accingunt, quibus nos ipſam comprobavimus. Sic itaque diſſerunt, & ajunt. Gratis omnino ſupponis tantam noſtris ſpectaculis vim ineſſe, ut Chriſtianos, proboſque viros (nam hi tantummodo ſacras peregrinationes ſuſcipient) ad ſe trahant, alliciantque, & aſſertis illecebris à Jubilæo, vel peregrinatione ſubducant. Multi profecto, imo ex viris provectis omnes, cum ſolum animi à curis relaxandi cauſa ad ſcenica potiſſimum ſpectacula confluant, illibati ab illis diſcedere conſpiciuntur. Quod ſi aliquos ipſis aliquatenus inquinari, aut nimium hærere videas, non propterea præſcripta Religionis opera prætermittunt. Sanè quantumvis publicis illiciantur oblectamentis, cum hæc veſpere, vel utplurimum noctu iniri ſoleant, ipſis impedimento non ſunt, quominus miſſas, & concio-
nes

(t) D. Cypr. *de ſpect.* in princ.
(u) Ibid.

nes audiant, peregrinationem proſequantur, & reliquis pietatis exercitationibus Jubilæo promerendo congruis ſatisfaciant. At ſi quæras, quomodo his ludis ſemel ineſcati, eos propter Jubilæum, vel peregrinationem derelinquent, obvia quidem, & facilis eſt ſolutio: Enimvero non ita ſpectaculis addici ſolent, ut ea non deſerant, quoties eos neceſſitas, vel opportunitas ad utiliora vocat. Nonne propter negotia, ipſa ſæpiſſimè intermittunt? Cur Jubilæi conſcios id ipſum facturos non cenſeas, cum Catholicos eſſe noveris? Si autem ob Romanum iter inſtituendum, Patriæ ſpectaculis renuntiant, facilius ſperandum eſt, ut ab his eo, quo peregrinantur, tempore abſtineant. Ne vero Romæ dum injunctis vacant operibus, animum ab his facile avertant, ſatis quidem eſſe putamus ludiones omnes ab Urbe procul anno Sancto depelli. Cur ea de re quereris? Porro Romanis Pontificibus, quibus anno Sancto publici diſplicuere ludi, ſatis utique viſum eſt, eos in Urbe ſolum, & ad ſummum in Ditione Eccleſiaſtica interdicere. Indica Provincias alias, à quibus Pontifices, aut Principes Jubilæi univerſalis cauſa publica amoverint ſpectacula, & manus dabimus victas. Quod ſi plures indicare nequis, cum nos è contrario noverimus permiſiſſe non raro Pontifices, ut ipſo Jubilæi tempore publicis ſpectaculis populus frueretur, cur tam vehementer adverſus eadem ſpectacula declamas?

4. Non hic conſiſtunt adverſarii. Adhuc progrediuntur, & ad hunc modum diſſerunt. Quantunvis ſanctum ſit tempus Jubilæi, tetricus, & auſterus nimis es, dum omnes publicas oblectationes populis adimere conaris. Quis aliquas ad animi ſolamen ſancto etiam, & tam longo potiſſimum, tempore non permittat? Porro Auguſtino non diſplicet diebus feſtis à virtutum exercitationibus Fideles tantiſper deflectere, & in mundanis occupari. Ait enim (x) *Spirituale Sabbathum obſervant illi, qui ſe ita temperate, operibus terrenis accommodant, ut tam lectioni, quàm orationi, etſi non ſemper, rectè perfrequenter inſiſtunt. Neque enim* (ut monuit Seneca) (y) *in eadem intentione retinenda mens eſt, ſed aliquando ad jocos revocanda.* Quod ſi his obſecuturus, dixeris oblectationes aliquas tunc etiam concedendas,

ve-

(x) Epiſt. 130. cap. 7.
(y) De tranquilit. cap. 3.

vetùm ſolum honeſtas, utique honeſta noſtra ſpectacula, maximè ſi juxtà regulas à religioſiſſimis Scriptoribus (z) probatas exhibeantur. Sat igitur erit ad pauciores, certoſque dies ob majorem anni Sancti reverentiam, & cultum ipſa reſtringere ſpectacula, & ſi ea honeſtiora velis, ipſa corrigère, & in ludiones animadvertere, vel etiam quæ minus pia videantur, Jubilæi tempore proſcribere.

5. His ſanè remediis uſi ſunt veteres piiſſimi Romani Imperatores, & publicorum ludorum mala vitarunt, quin eos omnes populis ademerint. Extant in Jure Conſtitutiones plurimæ, quibus & morum honeſtati, & publicæ lætitiæ laudabiliter ipſi conſuluerunt. Conſpicua eſt illa, in qua id præſtitit Arcadius inquiens. (&) „ Ludicras artes concedimus agitari, ne ex nimia harum reſtrictione triſtitia generetur. Illud vero, quod „ ſibi nomen procax licentia vindicavit Majumam, fœdum, atque indecorum ſpectaculum denegamus. „ Laudatiſſima quoque eſt ea, in qua ſic reſcribit Gratianus. (a) „ Non invidemus, ſed potius coarctamur amplectenda felicis populi ſtudia, „ Gymnici ut agonis ſpectacula reformentur. „ Coarctentur itaque, & reformentur, ſi opus eſſe putetur, ſpectacula, non vero ita invide impetantur, ut nihil populari conſolationi longiſſimo Jubilæi univerſalis tempore indulgeatur.

6. Ad hæc: Ne tecum obſtinate agam, ſpectacula, dum Sanctus agitur annus, interdicantur. Quid tum denique? Num ſic Jubilæum promovendum cenſes? Num his vetitis, omnia, quæ Jubilæo adverſari poſſunt obſtacula, amota, & avulſa credes? Jubilæi tempus ab omni jam labe, & diſtractione liberum putabis? Apertè falleris. Vereor ego, ne inde majora mala in Jubilæi, & totius Chriſtianitatis detrimentum exſurgant. Porro

Curando fieri quædam majora, videmus,
Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit. (b)

Mo-

(z) Nempe Joan. Gutierr. *practic. quæſtionum* cap. 7. Gomez de Ameſcua, *de poteſt. in ſeipſ.* lib. 2. cap. 11. Pignat. *d. conſult.* 153. *à n.* 143.
(&) Leg. 2. 10 C. Theod. iii. *de Majumâ*.
(a) L. 1. Cod. *de ſpectac. & ſcenic.* deſumpta ex leg. 3. C. Theod. tit. *de ſcenic.*
(b) Ovid. lib. 3. *de Ponto*, eleg. 7.

Monuit propterea Tacitus (*c*) nonnullis morbis unicum eſſe remedium remedia omittere. Et quidem ſi comœdiæ, & alia publica oblectamenta, quibus homines levantur, tempuſque fallunt, ſolemni edictione, quæ prorſus ea tollat, auferantur, his potiſſimum calamitoſis temporibus, quibus populi ita ſunt illis addicti, ut difficulter ab ipſis ſint arcendi, quis non timeat, ne Jubilæum prorſus contemnatur? Animadvertentes voluptuoſi populi à Jubilæo prohiberi quo minus conſuetis fruantur oblectamentis, exaſperati obfrement, emiſſiſque fortaſſe in vulgus ſatyris, & libellis, & in ea interdicentes blaterabunt, & illud ſacrilegè diſſuadent. Quid quod & privatis fortaſſe voluptatibus longè pejoribus ſe tradent? Quæ exinde crimina! Quot mala! Quæ Jubilæi impedimenta! Certè majora, quàm ſpectacula. Expedit itaque Doctorum inire conſilium, (*d*) & hæc Jubilæi quoque tempore permittere, ne Fideles in deteriora prolabantur, & remedium ipſo malo gravius experiamur.

7. Oppugnant tandem adverſarii argumentum à dierum feſtorum paritate depromptum, & quia eo ſententiam noſtram plurimum roborari ſentiunt, audacter declamantes illud revincere contendunt. En eorum impetus. Quid conficta dierum feſtorum paritate confidis? Quid, quaſi viciſſes, exultas? Nonne falſo nititur fundamento? Nonne ex noſtris plerique ludis feſtis etiam diebus exhibentur? Videmus utique in his dramata agi muſicalia, comœdias repræſentari, & larvatorum hominum ludos perſtrepere. Hæc omnia perſuderint vetera, quæ nobis obtrudis, Conciliorum decreta; at ea contrarius abrogavit uſus. Ea non iſtauravit Tridentinum. Imò plurimos in promptu habemus cùm veteres, tum noviſſimos canones, qui cum horis duntaxat, quibus Divina perſolvuntur officia, noſtra vetent ſpectacula, eadem reliquo dierum feſtorum tempore videntur permiſiſſe; imo & quodammodo approbaſſe. (*e*)

8. Om-

(*c*) Lib. 34. *annal.*
(*d*) Hoc quidem eſt; *ex duobus malis minimum eſſe eligendum*, deſumiturque ex l. *Quoties*, ff de R. J., c. 50., & 51. *diſt.* 13., & ex cap. *Inter opera*, de Sponſ. ubi DD. id monent D. Thom. 1. 2. q. 93. art. 5. Azor. *inſtit. mor.* p. 1. *lib.* 5. q. 5. Barb. *axiom.* 151. Menchaca *lib.* 1. *contron. illuſtr.* Vela, *diſſert.* 4. n. 51. Solorz. *de Ind. govern. lib.* 1. *cap.* 4. n. 81., & *lib.* 2. *cap.* 30. n. 115.
(*e*) Ita ſeco diſcount Ang. Clavaſ., & Silveſ. Prier. in ſuis Sum. v. *chorea*.

8. Omnes, in quibus id obſervavimus, canones expendere non vacat: Aliquos ſpeciminis gratia adducere ſat erit. Ne vero tibi ignoti, aut ſuſpecti ſint, duos proferam ex illis, quos tu ipſe perperam allegaſti, (*f*) ut ſpectacula diebus feſtis nobis prorſus illicita perſuaderes. Primus eſt canon Concilii Carthaginenſis IV., qui ſic in Juris corpore legitur: (*g*) *Qui die ſolemni, prætermiſſo ſolemni Eccleſiæ conventu, ad ſpectacula vadit, excommunicetur*. Alter eſt ille Concilii Mediolanenſis III., cujus hæc ſunt notabiliora verba: (*h*) *Saltem horis, quibus Divina celebrantur officia, interdicimus, ne ſaltationes, tripudia, choreæ ducantur, aut fiant; ne item comœdia, ludi ſcenici, vel theatrales*. Vides in primo excommunicationem in eos tantùm intorqueri, qui diebus feſtis, ſolemni Eccleſiæ conventu *ob contemptum*, ut notant Doctores, (*i*) prætermiſſo, ſpectaculis aſſiderent; atque ex eo manifeſtò inferri Eccleſiæ ſolemnia non contemnentibus licuiſſe, his præſolutis, ad ſpectacula concurrere. Quem quidem ſenſum apertius explicat poſterior Mediolanenſis Conſtitutio.

9. Quod ſi utriuſque canonis verba aliò flectas, & trahas, minime alium poteris intellectum adaptare huic Synodi Valentinæ decreto Pii V. auctoritate confirmato. (*j*) „ Diebus feſtis, dum in templis officia ſacra aguntur, ludi, ſaltationes, tripudia, & alia quæcunque rerum Divinarum impedimenta tollantur. „ Neque aliam patiuntur interpretationem plura, quæ ex Conciliis Belgicis affert Wan-eſpen. (*k*)

10. Sed age: Hæc omnia prætereamus. Sint ſpectacula omnino diebus feſtis vetita. An propterea id de toto ſolemnis Jubilæi tempore obtinebis? Minime vero. Ad dies feſtos celebrandos, ſanctificandoſque præcepto adſtringimur. Non ita ad ſacras peregrinationes ſuſcipiendas, nec ad Jubilæum comparandum. Monuit id ipſum N. SS. D., cum ex Raynaudo (*l*) dixit:

(*f*) Par. 2. cap. 11.
(*g*) Can. 60. *de Conſecr. diſt.* 5.
(*h*) Tom. 21. Concilior. *p.* 137.
(*i*) Archidiac., Ægid. Bellemer., & alii *ad d. can.*
(*j*) Cap. 4. Conc. Valent. Provinc. anni 1565. *ſeſſ.* 5., ap. Card. de Aguirre, *tom.* 4. *p.* 83.
(*k*) Jur. Eccleſ. *tom.* 2. *par.* 2. *tit.* 27. *cap.* 5. *in f.*
(*l*) Tom. 15. Oper. in Tract. inſcripto *Heteroclita ſpiritualia*, p. 217. n. 13.

xit: (*m*) *Peregrinatio eſt opus ſupererogationis ; & pertinet ad cultum voluntarium.* Jubilæi igitur tempore omnibus quoque liberum eſſe debet ab ſpectaculis, aliiſque Jubilæi, peregrinationiſque impedimentis abſtinere. Sane Pontifex, aut Principes, qui Fideles ad peregrinandum cogere nequeunt, neque poterunt ipſos ad ſanctæ peregrinationis offendicula vitanda, aut removenda compellere. Hæc, & ſimillima facile nobis obtrudent adverſarii: Sed jam tempus eſt, ut primos eorum impetus propulſemus.

CAPUT XV.

Objectiones præcedenti capite propoſitas diſſolvimus; ac repellimus.

1. Q*Uàm ſapiens argumentatrix ignorantia humana, præſertim cum aliquid ejuſmodi de gaudiis, & de fructibus ſeculi metuit amittere!* repetere cum Tertulliano (*n*) liceat, dum in re omni prorſus ratione deſtituta tuam in ſpectaculorum defenſionem argutiam, ne audaciam dixerim, demiror. Subtiliter nempe, ſi vis, excogitata ſunt iſta, & veri ſpeciem præſeferunt; attamen veritatem ipſam non ſunt aſſecuta. Quod ut videas, ſingula eo, quo objecta ſunt, ordine ſtatim expendamus. Et primum videas, obſecro, piiſſime vir, num temerè tibi perſuaſerim ſummam ſpectaculorum vim, atque efficaciam ad Fidelium animos irretiendos, & à peregrinatione, aliiſque piis exercitationibus avertendos. Eam omnes propemodum SS. Patres, & Phyloſophi, etiam Ethnici, (*o*) communi quadam conſpiratione inculcant. Ipſam Pontifices, Concilia, & præclariſſimi Principes teſtantur: Eandem indiſcrepanter concludunt, atque evincunt omnes ferè Theologi, & Canoniſtæ, maximè qui ſpectacula his, quibus hodie fiunt, illecebris contemplantur. (*p*) Nunquid omnes

(*m*) In prædic. Epiſt. Encycl. *de præp. ad ann. Jubil.*
(*n*) *De ſpectac.*
(*o*) Ut ſup. videre potes *cap. 1. 2. 3. & 4. h. p.* & latius ap. Hieron. Florent. *in Comœdiocriſ. clæ. 2.*, & Pignat. *tom. 8. d. conſult. 133.*
(*p*) Ut Menoch. *de arbit.* in addit. *ad d. caſ. 60.* P. Segner. *d. diſc. 31.* Barthol. Paſmans in Tract. *de choreis, & tripud. prout agitari paſſim ſolent*, quam ſub 31. *Theſium* evulgavit. D. Boſſuetus in d. lib. *ſup. Comœd.*, & unus ad inſtar omnium N. SS. P. Benedictus XIV. *inſt. 9. tom. 4.* edit. Ital.

nes exagerant? Nunquid omnes aberrant? Nunquid tot, tantorumque virorum teſtimonia ſatis nobis non eruut ad eorum vim, & illecebras agnoſcendas? Sane vir quidam doctiſſimus (q) affirmavit parum ſenſus communis cum minimo pietatis ſpiritu ſufficere, ut eas quiſque palam noſcat, & incuſſet. Nec te ab hoc alienum futurum eſſe putarem, dum ea, quæ adduximus, argumenta ſincero perpenderis animo.

2. Quid autem tantùm, ſubdolam charitatem affectans, iis, quos probos vocas Viros, confidis? Porro non ita probi, & circunſpecti, ſi ad ſpectacula frequenter confluant. Non Catones erunt, ſi ſtatim ac theatrum viderint, non aufugiunt. (r) Sint verò, ſi vis, aliqui probi, ac modeſti; (neque enim univerſos, qui ſpectaculis crebrò adſunt, probos eſſe affirmaverim) ſuntne ænei, vel adamantini, ut voracibus thearri flammis, totque hiſtrionum, mimarumque ictibus obſiſtant infracti? Ibi vident obſcœna, & tu vis obſcœnis non coinquinari? Audiunt turpia, & de turpibus non delectabuntur? Scurrilia, & ſemper poterunt contineri? Rident ad inhoneſta, & impia, & honeſtatem, pietatemque ſervabunt illibatam? Plaudunt ad acumina æquivoca, & mentem à malitia abſtinebunt? In Bacchanalibus larvata facie adoleſcentulis blandiloquuntur, & verecundiæ, pudoriſque terminos minime tranſgredientur? Cum amaſiis illigati ſaltant, & non concitabuntur? Intuentur in faſcinantes fœminarum vultus, & ſæpius non concupiſcent; Eo potiſſimum tempore, quo plenæ amoribus aures, illecebris mentes, Veneris ſimulacris oculi? Ludionum, ſaltatricum, ſpectatorum facies intuere, verba examina, facetias intellige, voces conſidera, veſtes obſerva, actiones adverte, motus inſpice, & mecum illico fatebetis ſummam libidinem animis inſtillare poſſe ea, quibus ſpectacula aguntur, lenocinia.

3. *Quare jam nunc* (poſt ſimilem ſubdit deſcriptionem Cyprianus) (ſ) *an poſſit eſſe, qui ſpectat, integer, vel pudicus.* At

I ne

(q) L' Auteur anonime dans la Bibliteque des Predicateurs tom. 8. §. 6. *des Spectacles*.

(r) Catonem theatri ludibriis, & obſcœnitatibus commotum, ab eo ſtatim diſceſſiſſe tradit Val. Max. *lib. 2. cap. de Majeſt.*; idque innuit Mart. *in Epiſt.* ſoluta oratione *lib. 1., & Epigr. 3. ejuſd. lib.* Hinc Caſſiod. ait lib. 1. epiſt. 27. *Ad Circum neſciunt convenire Catones.*

(ſ) *Ad Donat.* epiſt. 1.

ne perſonas provectas, & morigeratas ita confidenter excipias; audias, obſecro, quod ipſe alibi (*t*) teſtatur. *Qua pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo revertitur impudica*. Cum his conſentiunt hæc alia Salviani verba. (*u*) *In illis imaginibus fornicationum omnis omnium plebs animo fornicatur; & qui forte ad ſpectaculum puri venerant, de theatro adulteri revertuntur*. Si vero Cyprianum, & Salvianum, uti de priſcis ſpectaculis loquentes, & ceu nimis rigidos (non tamen ideo deſpiciendi) excipias, audi, num aliud de noſtris expreſerit ludis, & theatris non ſeverus quidam Anachoreta, ſed à voluptatibus non omnino alienus Franciſcus Petrarcha. Is laudatiſſimus Scriptor ei, qui ſpectaculis delectari dicit, ſic reſpondet: (*x*) „ Circo forſan, & theatro? quæ duo loca bonis ſemper adverſa moribus fuiſſe notiſſimum, quò quiſquis malus ierit, redivit peſſimus; & boni, quibus iter illud ignotum eſt, ſi caſu aliquo ignorantes adeant, contagio non carebunt.... multarum ibi ſama periit, pudorque; multæ inde domum impudicæ, plures ambiguæ rediere, caſtior autem nulla... Multos, quos mites natura fecerat, ſævitiam ſpectacula docuere. „ At quomodo aliud de theatralibus ludis ſcribere poterat Petrarcha, ſi idem de privatis etiam tripudiis affirmat? (*y*) „ Hic ludus (*inquit*) multorum dedecorum cauſa fuit. Sæpe ibi matrona diu ſervatum decus perdidit. Sæpe infelix virguncula ipſo nuptiali die didicit, quod melius ignoraſſet. „ Porro quid valet probitas, circunſpectio, atque animi indifferentia., ubi tot ſunt pericula, quot objecta? *Nemo ad voluptatem venit ſine affectu*, (inquit Tertullianus) (*z*) *& nemo affectu ſine caſibus ſuis patitur*. „ Audiant (inquit, uti alias, ſic quoque aptiſſime Chryſoſtomus) (*&*) curioſi, qui pulchritudines conſiderant alienas: Audiant qui ſpectaculis inſaniunt in theatris; qui ad excuſandas excuſationes in peccatis dicunt; ſpectamus

„ qui-

(*t*) Lib. 2. epiſt. 2.
(*u*) *De provid.* lib. 6.
(*x*) Dial. 30. *de Spect.*
(*y*) Dial. 24. *de chorеis*.
(*z*) *De ſpectac.* cap. 17.
(*&*) Hom. 2. *in Pſalm.* 50.

„ quidem, ſed nihil nocemur. David talis, ac tantus læſſus eſt,
„ & tu te putas non poſſe lædi? Ille nocitus eſt, qui tantam
„ habebat ſpiritus gratiam, & tibi quomodo credere potero ſi-
„ ne vulnere evaſiſſe? Et ille quidem in ſolario domus ſuæ, tu
„ autem in theatro, ubi & locus condemnat animam ſapien-
„ tis; in quo cum tanta ſint præcipitia, tantæ corruptelæ quo-
„ modo poſſum tibi credere, quod à talibus beſtiis vulneratus
„ non ſis? Nunquid lapideus es, aut ferreus? Igni conjunge-
„ ris, & non ardebis? Pone lucernam in fœnum, ſi poteris di-
„ cere, quoniam non exuritur fœnum: Quod autem fœnum
„ eſt, hoc eſt noſtra natura. „

4. Qui autem ita ſpectaculis oppugnantur, qui, quidquid blateres, ipſis ſæpiſſimè irretiuntur, à pietatis exercitationibus, præſertim voluntariis, & laborioſis quales Jubilæum, & peregrinationes eſſe conſtat, minimè retrahentur? Haud inficior illis aliquid temporis ad obeunda pietatis opera ſupereſſe; at quo modo illud in Jubilæi ſtudiis, & in longa inſument peregrinatione, qui theatro, larvarumque ludis addicti nihil aliud cogitant, niſi delectari? *Deſcendiſti a theatro*, (replicat Chryſoſtomus) (*a*) & ecce nova actio iterum in mente eò vehementior, quo interior incipit: *Quæ ſpectaſti in memoriam redeunt*. Diſcedunt à circo, vel theatro curioſi ſpectatores, & ſæpius illis, quæ intercurruni, momentis theatrales nugas, & ſcurrilitates aliis referunt, quæ conſpexerunt, audieruntque, ludicra, novis fortaſſe ſalibus deſcribunt; ludios ubique collaudant; ubique de ludis colloquuntur, & nihil aliud, quam ad eoſdem illicò redire peroptant. A proſcenio deſcendunt hiſtriones, ab orcheſtra muſici, à diabolico conſeſſu perſonati; & ecce currunt omnes ad ea ediſcenda, & præparanda, quibus ſubſequente die ſunt debacchaturi. Tunc peragant, ſi vis, aliqua Religionis opera; at qua præcipitatione! qua forſan immodeſtia! & hoc non ſpontaneæ devotionis ſtimulis commoti, ſed quia ſæpius inſtat obligatio. Ad Jubilæum, ſacraſve peregrinationes plus temporis, & quietis requiritur: Ad hæc ſola pietas, quæ in illis languet, excitare poteſt. Et tu ita facile perſuaderis eos à ſpectaculis diſceſſuros, ut digne Jubilæi operibus ſe exerceant? Unde id conji-

I 2 cis,

(a) Homil. 3. *de pœnit.* Circa hæc verba vide P. Segner. *d. diſc.* 31. *ſub num.* 9.

cis, piiſſime vir? Quia ea plerunque ob negotia deſerunt. Utinam verum dixeris. Sane non ignoras innumeros ex illis res familiares, & propria munia derelinquere, vel minus curare, quia publicis detinentur oblectationibus. Sed ſatebor illud, ſi vis. Verum dic, obſecro: coſne ipſos, quos à ludis terrenæ avocant negotiationes, poterunt ita facile opera pœnalia, & diuturna potiſſimum peregrinatio abducere? Et quanvis id de aliquibus ex ſuffragatoribus oſtenderis, num idem de ipſis ludionibus evinces? Apage diabolicas inſidias, & inveriſimilea hariolationes. Quin potius age tantiſper candidè: Seriò contemplare ſpectaculorum illecebras, noſtræ naturæ imbecillitatem, peregrinationis incommoda, & illico, ut puto, fateberis difficillimum, ac penè miraculoſum eſſe perpaucos ex innumeris, qui publicis inſerviunt voluptatibus, Romam ut ſacris Jubilæi fructibus potiantur, proficiſci poſſe.

5. Hæc dum noveris, audebiſne adhuc dicere ſatis eſſe anno Sancto Romæ tantummodo ſcenicos, & Bacchanales ludos intermitti? At cur ais Summos Pontifices Jubilæum celebraturos, ludos illos ab Urbe, & aliquando à Provinciis Eccleſiaſticis duntaxat amoveri juſſiſſe, ac peroptaſſe? Conſtiterunt in his, fateor; at hoc minimè ſunt contenti. Similes edictiones ad univerſam proculdubio Chriſtianitatem protendiſſent, ni eorum temporum calamitas, vel Principum, & politicorum ſeculi renitentia obfuerit. Literis tamen Encyclicis, & hortationibus facere non diſtulerunt, quidquid, obſiſtente hominum malitia, facere poterant, ut anno Sancto Fideles omnes ipſis publicis peccatorum illecebris abſtinerent. Nec quia alias nequeam deſſignare Provincias, à quibus eo tempore ſpectacula amota fuerint, evidentiſſime rationes deſunt, ut ab omnibus repellantur. Porro aliquando faciendum eſt, quod nunquam factum fuit; maximè ſi id ratio ſuadeat, & publica utilitas expoſcat. Eadem autem ratio ſubeſt ad ſpectacula anno Sancto in cunctis Chriſtianis populis interdicenda, quam ad ipſa ab ſtatu Eccleſiaſtico amovenda.

6. Veniamus jam ad alteram objectionem, in qua tetricum, & auſterum me dicis, quòd Jubilæi tempus ſpectaculis carere velim. At dic, amabo, cur nullus hactenus ſanæ mentis Scriptor

auſ-

auſſus eſt hanc ipſam, quam mihi inuris notam, SS. Patribus, & Principibus, imo nec Romanis Præſulibus inurere, licet ab his eadem ſpectacula ſancto potiſſimum tempore omnes damnari noverint? Dic etiam, obſecro, cur tu ipſe tetricos non dixeris, quos ſcis ipſa publica oblectamenta ſanctis Quadrageſimæ diebus non permittere? Evincunt ſcilicet hæc, & alia, quæ tu ipſe fortaſſe approbas, exempla minimè tetricos appellandos eſſe, qui eos, quos ego vetari peropto, ludos ſanctis pœnitentiæ temporibus abhorrent.

7. At clarius videſis, quàm immerito tetricum, & auſterum me dixeris. Poteram ſane, quin inter ſeverioris doctrinæ aſſeclas recenſerer, ea ſpectacula palam accuſare, & ab Orbe Chriſtiano ableganda prorſus oſtendere: Sed ea tantùm Jubilæi tempore vetari oportere probo. Poteram quoque (rationes enim exuberant) una cum noſtris ſpectaculis, privatas comœdias, & choreas per idem Jubilæi tempus improbare. (*b*) Ettamen ea duntaxat, uti ipſi Jubilæo magis adverſantia, redarguo. Quis comior? Da mihi alium ex piis, & feriis Scriptoribus, qui in his magis conniveat, tibique indulgeat, & me veluti rigidum incuſſa.

8. Verum tu privatis, & honeſtis ludis contentus non es. Annum integrum his publicis privatus oblectamentis tranſigere non potes. Cur hic cum Tertulliano (*c*) tibi non reſpondebo? „ Delicatus es, Chriſtiane, ſi & in ſeculo voluptatem concupiſcis: „ imo nimium ſtultus, ſi hoc exiſtimas voluptatem. Dicas velim, non poſſumus vivere ſine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus? „ Nihilominus vis etiam ſpectacula non minus, quàm alio, Jubilæi tempore permitti. At quàm ad id rationem allegas? Hanc nimirum: Quòd etiam ſancto, & ſolemni tempore aliqua concedenda ſint oblectamenta ad commune populorum ſolamen, & lætitiam. Quam juſtè hoc cum Menochio, (*d*) & aliis plurimis negare poſſem! maximè ſi ea recolerem teſtimonia, quæ pro dierum feſtorum, & Quadrageſimæ ſan-

---

(*b*) Ex doctrina D. Thomæ, Menoch., & Boſſuet. in locis *ſæpe* citat., imo ex monitis N. SS. P. in prælaudatis Inſtitutionibus.
(*c*) *De ſpectac.*
(*d*) *De arbitr.* d. caſ. 69. in addition.

ſanctificatione tranſcripſi. Nolo autem, dum liberaliter tecum agere poſſum, tetricus videri. Iſta omittamus. Sed an quia aliqua permittenda ſint oblectamenta, debent eſſe omnia? poſſunt eſſe ea ſpectacula, tametſi honeſta ſint? Minime profecto. Oblectationes non modo ſancto tempore, verum & quocunque alio debent eſſe innoxiæ, alioqui ab omnibus damnantur. (e) Audi, ut alias omittam, hanc celebrem Arcadii Conſtitutionem: (f) *Clementia noſtræ placuit, ut Majumæ Provincialibus lætitia reddatur; ita tamen ut ſervetur honeſtas, & verecundia caſtis moribus perſeveret.* Ut vero ſancto quoque tempore publica permittantur oblectamenta, honeſta eſſe non ſufficit, ſed præterea opus eſt; ea eſſe ipſi tempori conſentanea. Quis autem non fatebitur ſcenicos ludos, & Bacchanalium inſanias minime Jubilæi tempori congruere, cum hæc ipſi adverſari Jubilæo, & Fideles à peregrinatione, aliiſque pietatis exercitationibus noverit avertere? Si vero hac de re aliquis adhuc te angat ſcrupulus, tam multa, quibus id oſtenditur, antea tradidi, (g) ut Lectori moleſtus eſſem, ſi rurſus ea de re diſſererem. Tu ea recole; & nulla, ut puto, te anget dubitatio.

9. En igitur cur, quin rigidus dici meream, ſpectacula à Jubilæi tempore repellam. Hæc ut Jubilæi impedimenta tollere, non eſt omnem lætitiam populis adimere. *Alia ſunt honeſtiora remiſſionum genera, quibus faſtidienti, feſſeque animo medeere.* (h) Et de his accipe Senecæ, & Auguſtini loca, ſi hunc de oblectationibus loqui vis, dum Fideles diebus feſtis in terrenis aliquantulum occupari probat. Neque enim de noſtris poteſt intelligi ludis, dum in alio, quem jam retulimus, (i) loco ipſe S. Doctor affirmet malle ſe fœminas in Sabbatho laborantes, quam ſaltantes.

10. His poſitis, à reliquis facile abſolvimur. Si enim ſpectacula non modo, quia parum pia, & honeſta, ſed etiam quia Jubilæo ſunt contraria, Jubilæi tempore intermitti oportet, quomodo ſat erit ea corrigere, & imminuere? Et quanvis id ſufficeret, quid

(e) Ut evincunt Menoch. *ibid.* & Guthofr. in C. Theod. ad leg. 2. *de Majuma.*
(f) L. un. Cod. *de Maju.* Ad eam vide Baron. *in Annal.*, Gothofr. *ubi prox.*, & D. Franc. de Amaya *obſervat. jur. lib.* 3. *cap.* 5.
(g) Hac par. 2. *cap.* 8. & 10.
(h) Petrarcha *d. Dialogo* 24.
(i) Hujus 2. par. cap. 9.

quid vetat, quominus tunc prorſus amoveantur? Verùm ais: Veteres piiſſimi Imperatores ea in his, quas allegaſti, legibus coarctarunt; non vero ipſa omnino interdixerunt. Fac ita eſſe. Verum alias eorundem Conſtitutiones evolve, & ea poſtea ab ipſis interdicta comperies. (j) At ea ſolum reſtrinxerint ii, quos laudas, Imperatores: Nonne plures alii, & innumera, quæ protuli, Concilia ea ab Orbe Chriſtiano prorſus exterminanda cenſuerunt? Sed quomodocunque ſe habeat res iſta, cum illi in his, quas nobis objicis, legibus publicas limitant voluptates, loquuntur de tempore ſancto, toto in pietatis, & pœnitentiæ exercitationibus impendendo? Nihil minus. Imo quando de eo locuti ſunt, publicas voluptates populis omnino denegarunt. (k) Quid ergo jura illa nobis obtrudis? Quid nobis, veluti rigidis, obtrectas? Quid obloqueris? Quid?... ſed reliqua proſequamur.

11. Novi ſanè te hic quoque in illo receptiſſimo axiomate; *minora mala debent permitti, ut majora vitentur*, plurimum confidere: Ex eo ſiquidem plane inferre putas ſpectacula etiam Jubilæi tempore toleranda fore, quanvis ſint inhoneſta, ſacriſve peregrinationibus contraria. At novi etiam homines in majori malo, aut periculo dimetiendo ſubdolè timidos plerunque non judicare (ut monet textus) (l) ex *pura rationis acumine*, ſed ſæpius ponderare, ut eorum voluptatibus indulgeatur. Novit id prius Auguſtinus, dum hæc ſcriptis tradidit. „ (m) In hoc errant homi-
„ nes, quod, cum concedatur admittendum eſſe aliquod malum,
„ ne aliud gravius admittatur, non ex regula veritatis, ſed ex
„ ſua quiſque cupiditate, & conſuetudine metitur malum, & id
„ putat gravius, quod amplius ex horreſcit, non quod amplius
„ revera fugiendum eſt. Hoc totum ab amoris perverſitate gig-
„ nitur vitium. „ Novi præterea regulam illam probari duntaxat, cùm majora mala omnino certa ſunt, aut ita imminentia, ut minori malo amoto, ea prorſus vitari non poſſint. (n) Juvat ad

(j) Leg. 2. C. Theod. tit. *de ſpectac.*, & l. 19. tit. *de Pagan.*, *ſacrif.*, & *templ.* junctis his, quæ ad eas notat Gothofr.
(k) Leg. 2., & 5. *de ſpectac.* in Theodoſ., & leg. 7. Cod. *de feriis*.
(l) In can. 50. *diſt.* 13.
(m) Lib. *de mendac.* tom. 6. novæ Operum editionis factæ à doctiſſimis Monachis Benedictinis.
(n) Suar. *de legib.* lib. 1. cap. 15. n. 10. & c. 16. Molina de Juſtit., & jur. tract. 2. diſp. 335. à n. 9. Aug. Barboſa axiom. 141. à n. 6. Saavedra emblem. 35. *Minimum eligendum*.

ad hæc, aliaque, quæ deinceps tradam, firmiùs roboranda Gratiani verba (*o*) ex Concilio Toletano VIII. deſumpta tranſcribere. Ea excipe: „ Duo mala, licet ſint omnino cautiſſimè præca-
„ venda, tamen ſi PERICULI NECESSITAS ex his unum
„ perpetrare compulerit, id debemus reſolvere, quod mino-
„ ri nexu noſcitur obligare. Quid autem ex his levius, quid-
„ ve ſit gravius puræ rationis acumine inveſtigemus. „ His conſentiunt ea, quæ ex D. Gregorii M. libris Gratianus ipſe refert. (*p*) Quidni præcipua ſaltem afferam tanti Doctoris verba? „ Eſt tamen (*inquit*) quod ad deſtruendas Beetmoth ver-
„ ſutias ſubtiliter fiat, ut dum mens inter minora, & maxima
„ peccata conſtringitur, ſi omnino nullus ſine peccato eva-
„ dendi aditus patet, minora ſemper eligantur. „ Propterea minus malum in conſpectu majoris eligendum, *malum neceſſarium* appellari conſuevit. (*q*)

12. Nimis vero formidoloſum te fingis, dum ſimulas te vereri, ne, ſi ſpectacula Jubilæi cauſa interdicantur, Jubilæum, ſanctuſque peregrinandi mos magis intermittantur, imo, oppugnentur, vel damnabilioribus fortaſſe impediantur voluptatibus. Unde, vir tuo quidem judicio prudentiſſime, hæc omnia times? Expertus es iſta in Ditione Pontificia, dum hoc, aliiſque annis Sanctis vertentibus eadem ſpectacula, imo & domeſtica tripudia fuerunt interdicta? Minime vero. Quanvis enim primis interdictionum diebus eas aliqui ægrè tulerint, accidit tandem, quod Auguſtinus, vel quiſquis ſit Auctor Epiſtolæ illius *ad Bonifacium*, quam D. Auguſtino adſcripſere plurimi, de Donatiſtis refert: „ (*r*) quo-
„ niam multi per illas correcti ſunt, & quotidie corriguntur;
„ & ſe eſſe correctos, atque ab illa furioſa pernicie liberatos
„ gratias agunt. Et qui oderant, diligunt, moleſtaſque ſibi
„ fuiſſe ſaluberrimas leges, quantum in inſania deteſtabantur;
„ tantum recepta (*aliquomodo*) ſanitate gratulantur, & in reſi-
„ duos, cum quibus fuerant perituri, jam ſimili delectatione
„ nobiſcum, ut pariter inſtemus, ne illi pereant, excitantur. „

Cur

(*o*) In d. can. 50.
(*p*) In can. 51. *ejuſd. diſt.* 13.
(*q*) Monet Solorzan. *de Indiar. gubernat.* lib. 2. cap. 4. n. 83.
(*r*) In d. Epiſt. *ad Boniſac.*

Cur itaque illa majora mala in aliis Provinciis pertimeſcis. (*s*) Suntne Barbari, ſunt Hæretici ii populi, à quibus tunc etiam eoſdem ludos amoveri cupio, ut ita impie Jubilæum impetant, & animas ſuas perdant? Ad ſummum hæc mala poſſent quodammodo timeri, ſi nullo unquam tempore ſpectaculis adeſſe, prohiberentur; non vero quando uno ex ſingulis viginti quinque annis, aut paucis tantummodo Jubilæi extraordinarii diebus ipſa prohibeantur exhibere. Quod ſi aliqui ſint populi adeo his addicti voluptatibus, & pietatis expertes, ut nec brevi tempore ab illis arceri poſſint, abſque maximo eorum, quæ tu ad terrorem auguras, malorum periculo, ibi, & ego ſpectacula permitterem. Sed væ populis, quorum impudentia Principes, & Præſules ad id coegerit. Cave ergo putes ullum prudentem virum ab eo, quod affers, axiomate alìàs induci poſſe ad ſpectacula, dum ſanctum volvitur Jubilæi tempus, permittenda.

13. Ad ea tandem me confero, quibus præcipuum noſtrum argumentum enervare contendis. Et ad eum quidem locum pervenimus, in quo tam multa profers, ut, ſi ea revincere, ac ſolvere omnino volumus, multò plura, quàm tu objeciſti, nos reponere opus ſit. Quoad potero brevitati conſulam, non ita tamen, ut difficultatem enodare, ac refellere negligam. Argumentum ſcilicet à diebus feſtis ad Jubilæi tempus translatum duplici via impetis, & diſſolvere ſtudes. Ais primo illud falſo inniti fundamento, quoniam nec diebus feſtis ſpectacula ſunt vetita. At quibus tandem argumentis id probas? Experientia, inquis. Videmus, ſcilicet, diebus feſtis comœdias, opera, choreas, alioſque Bacchanalium ludos. At videmus etiam lupanaria, eaque frequentari. Ergo non ſunt illicita? Ea quidem videmus; ſed ubi hominum impudentia jura conculcavit, & rationem cupiditatibus ſubjecit. Lege Divina, & humana damnata ſunt periuria, blaſphemiæ, & adulteria, & tamen plurima ſub Sole fiunt. Repete ſeculorum myriades, & periuros, blaſphemantes comperies, atque adulteros.

14. Feſtis ſanè diebus alicubi ſpectacula (liceat pauca ſcholaſtico more loqui) *de facto*, non *de Jure* permittuntur. *Per-*

K *miſſio*

(*s*) Metus nanque, & timor cenſentur excluſſi per geminationem actus, l. 2 Cod. *de eo, quod met. cau.* Menoch. *conſ.* 1. *num.* 197., *& de præſumption.* lib. 5. præſ. 126. Barboſ. in repertor. pract. concluſ. ver. *Metus*.

miſſio autem facti prohibitionis negationem non includit, (ait Eximius Doctor) (*t*) *ſed meram negationem impedimenti, ſeu operis, quo effectus permiſſus poſſet efficaciter impediri*. Rurſus, fiunt ſpectacula diebus feſtis, ſed in malis nulla præſcriptio. (*u*) Contra jura Divina, & naturalia, quibus hæc ſpectaculorum innititur interdictio, (*x*) quælibet contraria conſuetudo abuſus, & corruptela cenſetur. (*y*) In his nullus præſumitur tolerantis conſenſus, (*z*) nulla allegari poteſt pacifica poſſeſſio; ea ſiquidem Concilia, ſummique Viri perpetuò inſectati ſunt. Ne de hoc dubites, ad ea te amando, quæ ſupra retuli, teſtimonia. (&)

15. Nunc ageſis, experiamur quanti æſtimanda ſint ea, quæ affers, Conciliorum monumenta, quibus nobis ſuadere adniteris feſtis quoque diebus, ſaltem poſtquam Divina officia ſoluta ſunt, ſpectacula, quæ tunc agi videmus, ab Eccleſia probari. Ad hanc refellendam aſſertionem planè ſufficerent ea, quibus Menochius, (*a*) & Boſſuetus (*b*) ſuos redarguunt adverſarios. At quoniam ad Concilia, quorum illi minime meminerunt, nos provocas, ad ea explicanda plura addere opus eſt. Urges ante alia duo illa decreta Synodi Carthaginenſis IV., & Mediolanenſis III. pro nobis prius perperam (te Judice) allegata. Porro quam apte his, quorum meminiſti, decretis nos cum aliis Scriptoribus (*c*) utamur, jam me palam oſtendiſſe arbitror: Tamen, quoniam ipſis triumphum agere putas, operæ pretium erit hoc in argumento amplius immorari.

16. Hæc ſanè Conciliorum decreta eo, quem propoſuiſti, explicari modo neque aſſentior, neque, ſi aſſentirer, meum illuderes argumentum. An his ſolis innitor Conciliis? Sanè innu-

(*t*) *De legib.* lib. 2. cap. 15. n. 7.
(*u*) Cap. fin. *de præſcript.* Tuſch. *lit. P. concl.* 533.
(*x*) Notat Wan-eſp. par. 5. *Jur. Eccleſ.* in tract. Hiſtorico-Canon. *par. 1. cap. 1.* §. 3.
(*y*) Menochius ſimili reſpondens argumento, ait d. caſ. 69. n. 64. in addit. *Nam verus eſt hanc eſſe malam conſuetudinem, quam abuſum, & corruptelam appellare ſolemus; & propterea licet excuſaet hæc poſſit à pœnâ temporali, non tamen ab æterna.*
(*z*) Menoch. *ibid. n.* 65. & Pignat. *d. conſ.* 153.
(&) Cap. 2. 3. 4. 5. & 6. hujus 2. par.
(*a*) *Ubi prox.* omninò videndus.
(*b*) Ibid. aureo libello *ſup. Comœd.* cap. 30.
(*c*) Ferè omnes, dùm de ſpectaculis diebus feſtis non permittendis diſſerunt, ea proferunt decreta.

innumera alia protuli, quibus noſtra ſpectacula ab integris diebus feſtis amoventur. At, uti dixi, minime aſſentior hos canones in eo poſſe intelligi ſenſu, quo tu illos interpretaris; ita nimirum ut Eccleſia in ipſis ſpectacula vetans his horis, quibus ſacra celebrantur, eadem reliquis dierum feſtorum horis voluerit permittere, vel approbare.

17. A Concilii Carthaginenſis canone exordiens, fateor perlibenter in eo excommunicatione percelli duntaxat illos, qui eò devenirent impudentiæ, ut diebus feſtis ſolemni Eccleſiæ conventui ſpectacula præponerent. At ex eo quod eadem pœna non ſtatuatur in eos, qui ſolemni dierum feſtorum cultu peracto (ſi is ita breviter, ut tu putas, peragebatur) ad ludos accurrerent inſpiciendos, quis inferat id Concilii Patres licitum cenſuiſſe? Id, ſi vis, hoc in canone ſub eadem pœna non damnarunt, verum nec illud fieri, poſitive permiſerunt. Id ipſum autem vel ſub leviori, vel nulla indicta pœna, erat, aut poterat eſſe aliis canonibus vetitum. Prohibitio enim etiam abſque ulla pœnæ temporalis comminatione ſtare poteſt. (*d*)

18. Sed volo tecum liberaliter agere. Spectacula Synodus Carthaginenſis his tantùm feſtorum horis, quibus ſacra peraguntur, damnaverit. At cur? Quia, Gentilitate nondum extincta, niſi Imperatorum conſenſus, & auxilium accederet, nullo unquam pacto ea prorſus vetare poterant Patres, nec Fideles omnino ab illis abducere. Tunc enim Chriſtiani, ſicut ante Conſtantini Magni, & Honorii leges (*e*) ad luſtrorum ſacrificia, (*f*) & Gentilitia convivia, ita ad ſpectacula feſtis etiam diebus prætextu publicæ utilitatis, devotioniſve erga Principem, aut Rempublicam (*g*) inviti, & renitentes per Gentiles ipſos adigebantur. Quod ut tibi palam oſtendam, non alieno utar argumento: Ipſi Africani Patres, qui eum, quem affers, canonem condidere, luculentum nobis offerunt teſtimonium, dum in Concilio Carthaginen-

(*d*) Suar. *d. cap.* 55. *ſub num.* 12., & nuperus Tornell. *de legib.*

(*e*) Nempe leg. 5. *de Epiſc.*, *Eccl.*, *&* *Cleric.*; & 29. *de Pagan.*, *ſacrifſc.*, *& templ.* in C. Theodoſ.

(*f*) Luſtrorum ſacrificia eâ in lege (ſi Gothofredo credimus) intelliguntur publica luſtra, & ſolemnia, ſive ambutbio, ſive ambarvali proceſſione, quæ circa pomerium Urbis, agroſque fiebant, ductis etiam victimis, dictiſque carminibus, die feſto, convivioque ſolemni.

(*g*) Id clarius explicat ipſe Jacob. Gothofred. ad d. leg. 5. *de Epiſcop.*, & ad l. 5. *de ſpectac.* in Theodoſ.

ginenſi V. proximè poſt IV. celebrato (*h*) reliquis, quæ ab Honorio petere decreverant, hoc etiam addunt; ne ſcilicet Chriſtiani feſtis potiſſimum diebus ad ludos adire cogerentur. Damus ipſorum Patrum verba: (*i*) „ Necnon & illud petendum, ut „ ſpectacula theatrorum, cæterorumque ludorum die Dominica, vel cæteris Religionis Chriſtianæ diebus celeberrimis amoveantur.... debere transferri devotionis etiam dies, ſi quando occurrerint. Nec oportere etiam quenquam Chriſtianorum cogi ad hæc ſpectacula; maximè quia in his exercendis, quæ contra præcepta Dei ſunt, nulla præſcriptionis neceſſitas à quoquam adhibenda eſt; ſed oportet, ut homo in libera voluntate ſubſiſtat ſibi divinitus conceſſa. Corporatorum (*j*) enim maximè periculum conſiderandum eſt, qui contra præcepta Dei magno terrore coguntur ad ſpectacula convenire. „ Vide num illum, quem producis, canonem neceſſitas potiùs, quàm Patrum reſtrinxerit voluntas.

19. Cur etiam Concilii Mediolanenſis III. decretum pro te, veluti temerè à nobis adductum, allegas, ſi illa particula *ſaltem* genuinam S. Caroli, & totius Synodi mentem indicat, & ſolutionem præbet argumento? Prodis hercle quam malam cauſam tuearis, dum illud adverſus nos intorques. praverat quidem ſolertiſſimus Præſul una cum toto, cui praeſat, Concilio (ut mox luculentius oſtendam) ea, de quibus agimus, ſpectacula exterminare prorſus, nedum ab integris diebus feſtis amovere: At quoniam ob infauſta,& difficillima tempora id aſſequi vix poſſe noverat, quadam veluti neceſſitate compulſus, ita ſuum attemperavit decretum, ut ſaltem horis, ad ſacra perſolvenda deſtinatis, ſpectacula vetuerit exhiberi. Pergratum ſane nobis eſt interpretationem hanc ex alio ipſiuſmet Synodi decreto plane conjici poſſe. Nimirum Concionatores deinceps inſtruens, quidve ab

(*h*) Circa hujus Concilii epocham ea recole, quæ notavimus *cap.* 11. *hujus* 2. *par.*

(*i*) Can. 5., in Cod. Affric. 61.

(*j*) In Codice Africano Labbæi pro *corporatorum* legitur *coopratorum*; ſed convenientior videtur lectio Dionyſiana, cui & Juſtelliana conſonat: Corporati enim dicebantur Urbium incolæ, qui ex certis Corporibus, præſertim artificum erant; quorum meminit l. un. Cod. *de privileg. corporator. Urb. Romæ*, & etiam l. un. Cod. *de Alexand. Prim.* Hi igitur, utpote Corpori artificum, aut alterius publici operis adſcripti, facile erat ad exhibenda ſpectacula compellere, Van eſp. *p.* 2. *d. tamſ. Hiſtor. Canon. cap.* 3. §. 6.

ab illis expoſceret, ipſe S. Antiſtes commonefaciens, ſic eos in ludos ipſos armat, & arcuit. „ Spectacula, ludos, ludicraſque „ res id genus, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, „ diſciplinæque Chriſtianæ adverſantur, perpetuo deteſtabitur, „ execrabitur, demonſtrabitque incommoda, publicaſque ærum- „ nas inde in populum Chriſtianum dimanare; in quam ſen- „ tentiam valde populum confirmabit argumentis, quæ graviſ- „ ſimi viri Tertullianus, Cyprianus Martyr, Chryſoſtomus, & „ Salvianus afferunt; in eoque argumenti genere nullum aliud „ omittet, quo tanta corruptela radicitus extirpetur. „ Quid plura?

20. Sed parum adhuc fortaſſe profecimus, niſi alia, ad quæ nos confidenter nimis amandas, Concilia, tibi etiam eripiamus. Eorum auctoritate, ut tu quidem cenſes innixus, tibi plus æquo plaudis: temerè tamen. An putas per illa veteres Eccleſiæ canones diebus feſtis ſpectacula omnino damnantes, non ſecus ac leges Athenienſium, reciſſos, atque abrogatos fuiſſe? Utique ab Eccleſiæ mente, ſenſuque aberras. Canones morum diſciplinam, atque honeſtatem præſcribentes non ideo aboliti cenſendi, quia Eccleſia aliquando ſuorum filiorum, & temporum duritie gravata quoad exteriorem diſciplinam eorum non ſervet rigorem, ac ſeveritatem: Nam cum idem ſemper ſit ſpiritus, qui eam per omnes temporum ætates regit, non minus hodie, quàm olim vitia, abuſus, divinique cultus impedimenta deteſtatur. Propterea, licet Patres Tridentini hos, aliosque veteres Eccleſiaſticæ diſciplinæ canones contrario uſu penè conculcatos, & tunc ſtatim omnino inſtaurari non poſſe noverint, ipſos tamen non ſolum probandos cenſuerunt, ſed inſuper addidere: (k) „ Si „ quos ex his in deſuetudinem abiiſſe compererint Ordinarii eos „ quàm primum in uſum revocari, & ab omnibus accurate cu- „ ſtodiri ſtudeant, non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcun- „ que, ne ſubditorum neglectæ emendationis ipſi condignas, Deo „ vindice, pœnas perſolvant. „

21. Eadem itaque in his, quæ opponis Concilii Valentini, aliorumque, ſi qua ſint, Conciliorum decretis Patrum mens, & ſententia fuit, quæ in nuper explicato Mediolanenſis Concilii canone. Hæc ſcilicet decreta, in quibus ſolum, dum diebus feſtis ſa-

(k) Seſſ. 22. cap. 1. de Refor.

cra fiunt, ludi, & ſpectacula vetantur, referenda ſunt ad numerum eorum, quæ temporum difficultas, & calamitas potius, quam Eccleſiæ ſenſus, & voluntas, extorſit. Celebrata profectò fuerunt hæc, quibus ſidis, Concilia proximè poſt Tridentinam Synodum, quo tempore, perſpectum eſt omnibus, abuſus omnes adeo diffuſos, atque inveteratos fuiſſe, ut eorum multitudine Eccleſia quodammodo oppreſſa conſpiceretur. Cum ea igitur eſſet rerum facies, multa quidem ad tempus diſſimulanda cenſuit, quæ in aliis circumſtantiis haud diſſimulare potuiſſet. Propterea Eccleſia ipſa aliquomodo coacta, multa decreta ita attemperare, & concipere debuit, ut illis, quandoquidem collapſam morum diſciplinam ſtatim omnino inſtaurari vix poſſe noverat, abuſus, quantum fieri poſſet, imminueret, ipſiſque viam paulisper ſterneret, quà, affulgentibus melioribus temporibus, cura, & ſolicitudine Paſtorum integræ diſciplinæ vigor, morumque puritas redderetur.

22. Expreſſiſſime nobis ſavet illa Cardinalis Lotharingi proteſtatio, qua omnium Epiſcoporum nomine omnia hactenus dicta in ipſo Concilio Tridentino his teſtatus eſt verbis. „ Cum nu-
„ dius tertius meam de reformationis articulis (*Seſſione 24. pu-*
„ *blicatis*) dicerem ſententiam, præfatus ſum etiam, me valde
„ cupere, ut priſca illa Eccleſiaſtica reſtitueretur diſciplina; ſed
„ cum his corruptiſſimis temporibus, & moribus intelligam non
„ poſſe ea, quibus maxime opus eſt, protinus adhiberi remedia;
„ interim aſſentiri, & probare ea, quæ nunc ſunt, decreta; non
„ quòd ea judicem ſatis eſſe ad integram ægrotantis Reipublicæ
„ Chriſtianæ curationem, ſed quòd ſperem, his prius leviori-
„ bus fomentis adhibitis, cum graviora medicamenta pati po-
„ tuerit Eccleſia, Pontifices Maximos, & maximè SS. D. N.
„ Pium pro ſua inſigni pietate, & prudentia diligenter curatu-
„ rum, ut, ea, quæ deſunt, implens, & efficaciora inveniens re-
„ media, in uſum veteribus, jam diu abolitis, revocatis cano-
„ nibus, & maxime quatuor veterum illorum Conciliorum,
„ quæ quantum fieri poterit, obſervanda cenſeo, vel, ſi expedi-
„ re videbitur, frequentiori Oecumenicorum Conciliorum ce-
„ lebratione, morbum ab Eccleſia propulſans, eam priſtinæ re-
„ ſtituet ſanitati. Hanc autem mentem meam, & ſententiam,
„ cum omnium Epiſcoporum nomine in acta referri volo, &,
„ ut id fiat, à Notariis peto, & poſtulo. „ Haud aliam fuiſſe

totius

totius Concilii mentem manifeſtè ſatis elucet ex his, quæ Concilium ipſum, ad Regularium reformationis lenitatem reſpiciens, ſubjicit, verbis. (*l*) „ Cupit S. Synodus (*inquit*) ea ad con-
„ gruam Monaſticæ vitæ diſciplinam omnino revocare: Verum
„ adeo dura, difficiliſque eſt præſentium temporum conditio,
„ ut nec ſtatim omnibus, nec commune ubique, quod opta-
„ ret, remedium poſſit adhiberi. „ Vide nunc quam temerè dixeris, veteres, quos allegavi, canones Tridentinam Synodum nullomodo approbaſſe.

23. En tandem quare in his, quæ urges, Conciliis Valentino, Belgicis, & aliis, quæcunque ea ſint, totis diebus feſtis, uti in antiquioribus Synodis, ſpectacula non interdicantur: Non quo ipſorum Conciliorum Patres, veteres illos canones obſervari non cuperent, ſed quòd collapsâ nimis in illis locis, & temporibus Diſciplinâ, hominibuſque æquo plus ludis illis addictis, id, quod optabant, vix ſe aſſequi poſſe ſperarent, niſi primum ſpectacula his duntaxat horis, quibus Divina celebrantur officia, auferenda decernerent. His vero decretis proviſionalibus, & quaſi vi extortis Eccleſia minimè eſt contenta. Propterea, ut optime monet Wan-eſpen, (*m*) in his non eſt ſiſtendum, ſed quantum loca, & tempora patiantur, ulterius ſemper progrediendum, jugiterque ſtudendum, ut ſaluberrimi priſtinæ Moralis diſciplinæ canones obſerventur. Videas nunc, obſecro, an canones illi, qui diebus feſtis publicos agi ludos vetarunt omnino, per eos, quos nobis objicis, fuerint abrogati. Ea itaque, quæ affers, argumenta minime nos cogunt, quominus aſſeramus ſpectacula diebus feſtis eſſe prorſus vetita.

24. Sed adhuc inſtas. Fac (inquis) Spectacula ab integris diebus feſtis amovenda. Quid tum poſtea? Non ideo fateri cogimur ipſis quoque Jubilæi tempore abſtinendum eſſe. Diſcrimen adducis in eo poſitum, quod ad dierum feſtorum ſanctificationem obligatione adſtringimur; minime vero ad anni Sancti peregrinationem ſuſcipiendam, vel ad Jubilæum aſſequendum. Verum ad hæc reſponſio iſta ſit. Quod tu vis, ſtatim excipio. Et ſane quidem nos à firmiſſima N. SS. Patris doctrina minime recedimus; imo illi ſemper nos inniti gloriamur. Eam itaque pla-

(*l*) Seſs. 25. *de Regul.* cap. 21.
(*m*) In d. tract. Hiſtorico-Canon. *par.* 1. *cap.* 1. §. 6.

planè ſequentes, *Jubilai*, *ſacrorumve itinerum neceſſitatem non obtrudimus, ſed utilitatem duntaxat commendamus*. (*n*) At non ideo minus neceſſarium eſt Romano Pontifici, Catholicis Principibus, atque Epiſcopis Jubilæi, atque injunctæ peregrinationis, quàm dierum feſtorum cultùs impedimenta tollere. Ad id ſola ſpiritualis, & temporalis totius Chriſtianæ Reipublicæ utilitatis ratio, quæ legalem inducit neceſſitatem, ſufficit. Porro, quanvis Fideles nec peregrinationem ſubire, nec Jubilæum aſſequi teneantur, Principes tamen & veluti Eccleſiæ, piorumque rituum Protectores, & ceu publicæ ſalutis Miniſtri omnem lapidem movere debent, (*o*) ne populi ab illis ſuſcipiendis avertantur. Quomodo autem id præſtare poterunt, niſi maxima, quæ Jubilæo obſtant, impedimenta, qualia ludos publicos eſſe novimus, (*p*) amoveant?

25. Nec, licet Pontifex, aut Principes ſubditos ſuos ad Jubilæum, aut peregrinationes, quæ (uti, me non diſſentiente, doces) pertinent ad cultum voluntarium, adigere nequeant, ulla ratione infertur eos ipſis non poſſe ea, quibus à peregrinandi, Jubilæique promerendi ſtudio avertuntur, auferre. Multo aliter ſe rem habere comprobare videtur præclarum exemplum, quod ex receptiſſima Theologorum, & Canoniſtarum doctrina nobis offert eruditiſſimus Solorzanus. (*q*) Is poſtquam innumeris propemodum SS. Patrum, Juriſque monumentis oſtendit Infideles, tametſi ad Fidem amplectendam cogi non debeant, poſſe nihilominus ad Concionatores Apoſtolicos benignè admittendos, & non offendendos compelli, aliam affinem quæſtionem movet: An ſcilicet Catholico Principi liceat Infidelium fana, & idola demoliri, ac proſternere, & ſi id iſti impediant, bellum ipſis inferre. Ad quam quæſtionem ſic reſpondet: (*r*) „ Et plane ſi Infideles nobis ſubditi ſint, ſine dubitatione procedet; quia, „ quanvis non liceat eos per vim ad Baptiſmum, Chriſtianamque „ profeſſionem compellere … licet tamen, imo & expedit, ab „ idolis colendis, etiam invitos revocare, & illis confractis, dia„ bolicas eorum ſuperſtitiones extrudere, quæ … Evangelii gra-
„ tiam

(*n*) In ea ipſa, quam nobis objicis, Epiſtola.
(*o*) Ut probavimus ſup. *par.* 1. *cap.* 8. & 9.
(*p*) Cap. m. h. 2. par.
(*q*) *De Indiar. Jure* lib. 2. cap. 20.
(*r*) Ibid. num. 87.

„ tiam impediunt. „ Laudatiſſimum hoc aſſertum variis confirmat legibus, quibus veteres Romani Imperatores, qui Catholicam profitebantur Religionem, Gentilium delubra claudi, atque Idola proſterni præceperunt. Oſtenditque præterea Concilia, Sanctoſque Patres non modo leges illas commendaſse, verum etiam ab ipſis petiiſse Principibus, ut eas edicerent. Quæ omnia etiam N. SS. D. Benedictum XIV. lato, eruditoque calamo proſequi, & probare comperies. (ſ) Haud aliter itaque, eſto Principes nequeant ſubditos ſuos ad Jubilæum, ſacraſve peregrinationes compellere, poſsunt tamen ſpectacula, quæ ne plures ad ea ultro ſuſcipienda moveantur, impedire norunt, ipſis Jubilæi tempore auferre, aut denegare.

26. Sed cur aliena urgeo, ſi in ipſis Quadrageſimæ, atque adeo fortaſse feſtis quibuslibet diebus id, quod probare adnitimur, excipiunt adverſarii? Novere ſcilicet nec Principes, nec Præſules vim Fidelibus inferre poſse, ut conciones audiant, atque aliis plurimis tunc potiſſimum propoſitis pietatis exercitationibus incumbant, & tamen agnoſcunt ipſi, Principes, atque Epiſcopos poſse ſpectacula illis ſacris temporibus amovere, ſuoſque ſubditos cogere, ut ab illis abſtineant. Denique nemo ad Jubilæum, neque ad peregrinationem inſtituendam cogi poteſt: utique vero ad ea deſerendã, quæ illis ſanctis adverſantur operibus, & Fidelibus hæc peragentibus ſcandali occaſionem præbere poſsunt. Nemini enim maximè in publico facere licet, quod multis nocet.

27. Repreſſimus itaque tandem aliquando præcipuos adverſariorum impetus: Deſtruximus magnum illum argumentorum apparatum. Vicimus profecto. Comprime igitur injuſtas illas querimonias, atque obtrectationes, quibus me quaſi tetricum, & rigidum diſtringis. Fatere denique publicos præſertim ludos, & ſpectacula eo, quo Jubilæum agitur, tempore populo eſſe jure, meritoque deneganda. Porro *avocandus eſt animus ab iſtis*. (ut Cyprianus ait) (t) *Habet Chriſtianus* (Sancti potiſſimum anno) *ſpectacula meliora, ſi velit*. Spectacula pœnitentiæ ſunt ipſi Peregrini: Spectacula ſunt pietatis opera, quæ in his aguntur Eccleſiis, in quibus Jubilæum celebratur: Spectacula tandem ſunt (teſte

Chry

(ſ) In æſtimatiſſimo Opere *de Servorum Dei Beatif. & Beat. Canoniz.* lib. 3. cap. 17 *per tot.* & præſertim *a num.* 14.
(t) In lib. *de Spectac.*

Chryſoſtomo) (*u*) ipſa Apoſtolorum, Martyrumque Corpora, & ſepulcra, quæ & lætitiam, & lucrum non exiguum præbent iis, qui ad ea inviſenda, atque adoranda confluunt. „ Neque vero „ (*ut ait ipſe Chryſoſtomus*) (*x*) mediocriter nobis prodeſt ad in- „ ſerendam animis noſtris modeſtiam, ac philoſophiam hoc ſpecta- „ culum tumulorum. Animus enim ſive ſegnis ſit, hoc aſpectu „ commotus, ſtatim percellitur: ſive diligens ſit, & excitatus, di- „ ligentior redditur: ſive paupertatem quis lamentetur, ex hoc „ ſtatim aſpectu conſolationem percipit: ſive divitiis intumeſcat, „ humilis ſit, & contrahitur. Hic enim aſpectus ſepulcrorum u- „ nunquenque ſpectatorum cogit invitum de ſua morte philo- „ ſophari, utque nihil in hoc Mundo ſtabile eſſe cenſeat, per- „ ſuadet, ſeu moleſtum ſit, ſeu jucundum. „ Ad ea igitur Jubilæi potiſſimum tempore accurrentes. „ Hymnos pro tympanis aſſu- „ mamus, Pſalmodiam pro fœdis modulationibus, & cantibus, plau- „ ſum grati animi indicem, & canoram manuum actionem pro „ theatricis plauſibus. „ (*y*)

CAPUT XVI.

Editionem, quâ N. SS. Pater ſcenicos, & Bacchanales ludos à Populis ſibi temporaliter ſubjectis anno Sancto amoveri juſſit, juſtiſſimam, ſanctiſſimamque evincimus; eamque commendantes, futuros Romanos Pontifices, Principes omnes Catholicos, atque Epiſcopos excitamus ad eandem in ſuis Ditionibus Jubilæi temporibus iterandam.

1. REpulſis jam minacium adverſariorum conatibus, eorunque repreſſo impetu, facile evincis rectiſſimè, ſummaque prudentia (quod alias in Optimo Principe admiramur) ſtatuiſſe Summum Pontificem, Benedictum (quem Chriſtianæ Reipublicæ bono datum diutiſſimè Deus ſervet incolumem) ſtatuiſſe, inquam, ne quiſquam, qui Eccleſiaſticæ Ditionis populis Jubilæi Univerſalis tempore præeſſet, ſcenica ſpectacula, aut Bacchanalium ludos, dum

tam

(*u*) Num. 5. homil. 26. in epiſt. 2. *ad Chorint.* tom. X. p. 626.
(*x*) Num. 1. homil. *in S. Droſidem Martyr.* tom. 2. p. 688.
(*y*) D. Greg. Nazianz. *orat.* 4. *propè fin.* p. 130. in nova Oper. edit.

tam Sanctus volveretur annus exhiberi permitteret. Æquiſſimam vero hanc legem fuiſſe quis negare auſerit, poſtquam ea adverterit in ipsâ prorſus eminere, quæ ad rectiſſimam legem dignoſcendam Iſidorus expoſcit? *Lex* (inquit) (z) *erit omne, quod ratione conſtiterit, duntaxat quod Religioni congruat, quod diſciplinæ conveniat, quod ſaluti proficiat.* Quid autem rationi conformius, quam ea, quæ ipſi adverſantur rationi, reprimere? Quid Religioni, & Diſciplinæ congruentius, quàm Gentilitatis reliquias, morumque corruptelas ſancto potiſſimum tempore amovere? Quid denique totius Reipublicæ Chriſtianæ ſaluti magis proficuum, quàm publicæ peſtis, malorumque ferè omnium ſeminaria, & fomites eo præſertim tempore, quo ſalus omnibus proponitur, interdicere? At quomodo viſibile Eccleſiæ Caput, Juſtitiæ Vindex, Juriſprudentiæ Luminare majus, & vigilantiſſimus Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Cuſtos legem poſſet unquam edicere, quæ non omnino æquitatis, & prudentiæ regulis reſponderet?

2. Non modo igitur juſtiſſima, ſaluberrima, & laudabilis eſt hæc ſpectaculorum prohibitio, dùm Jubilæi univerſalis ſolemnia Romæ, vel alibi peraguntur, verùm etiam Summos Pontifices, Epiſcopos, Catholicoſque Principes plurimùm decere, arbitramur, Univerſalis Jubilæi, ſive Ordinarii, ſive Extraordinarii tempore ſimiles iterare edictiones, ut & animarum ſaluti, & Reipublicæ utilitati ea, qua par eſt, ſedulitate proſpiciant. Moveat ad id ergò Summos Eccleſiæ Præſules cura ipſis à Domino demandata, & ab aliis omnibus miraviliter expleta, Fideles ad perfectiora virtutis opera erigendi, & inſtaurandæ Eccleſiaſticæ Diſciplinæ deſiderium. Pungant ipſos exempla ſuorum Prædeceſſorum, & potiſſimùm N. SS. P. Benedicti XIV., qui id, quod deinceps obſervari cupimus, ſumma cum laude præſtiterunt. Reminiſcantur Præſules ſui eſſe paſtoralis officii in publicos ludiones animadvertere, eorumque ludibria præcipuè dùm ſacræ celebrantur functiones interdicere.

(&)

(z) Lib. 5. *Ætymol.* cap. 2. Circa conditiones his verbis explicatas vide D. Thom. 1. 2. q. 95. *art.* 3. P. Suar. lib. 1. cap. 9. *de Legib.* Aug. Barb. in in collection. ad tex. in cap. *Erit*, 2. diſt. 4., & noſtrum Illuſtriſs. D. D. Chriſtoph. Creſpi de Valdau. *obſerv.* 1. q. 2. *inſpect.* 1.

(&) Expergiſcantur S. Caroli Borromæi, aliorumque præclariſſimorum Præſulum exemplis, qui noſtra publica ſpectacula non modo à quocunque ſancto tempore, verùm & ab omni alio amovere, jugiter ſtuduerunt. Moneat ad idem Principes Eccleſiaſtici Ordinis, Divini cultus, ſacrorumque rituum protectio, quâ veteres clariſſimi Chriſtiani Imperatores gloriabantur. Accendantur tandem boni publici deſiderio, imo & propriæ utilitatis ſpe, quæ Religionis, Divinique cultus incremento cumulatiſſimè impletur. Quem autem ad vana noſtra ſpectacula ſaltem Jubilæi tempore deſerenda non moveat ea, quam oſtendimus, tam ſanctæ ſolemnitatis, & tam inanium ſpectaculorum oppoſitio? Mihi quidem *deprecanda eſt Miſericordia Dei, ut donet intellectum ad iſta damnanda, affectum ad fugienda, miſericordiam ad ignoſcenda*. Ita ſermonem de ſpectaculis concludit Auguſtinus, (*q*;) & ita ego ad majorem Dei gloriam, Chriſtianique populi ſalutem finem his diſſertationibus impono.

F I N I S.

(&) Epiſcopi tenentur non ſolum ex charitate, ſed etiam ex officio tollere ea, quæ obſtant Divino cultui, & aſſecutioni ſalutis æternæ D. Thomas 2. 2. *q.* 33. *art.* 3. *ad* 1. Suar. *diſp.* 8. *de charit. ſect.* 4. *n.* 4. Zech. *de Republ. Eccleſ.* lil. de ſtat. Prælat. Atque ideo ſpectacula, ludoſque publicos, ea interdicendo, Monoch. *d. caſ.* 69. *n.* 47. *& ſeq.*, & Pigual. *d. conſult.* 153. *à n.* 162.

(*q*.) In Pſal. 50.

Digitized by Google

Digitized by Google

MC

005665651